SACRAM MEMORIAM

REGIS SERENISSIMI

DIVI

FRIDERICI GVILELMI III

VNIVERSITATIS FRIDERICIAE GVILELMIAE RHENANAE

CONDITORIS MVNIFICENTISSIMI

AB EADEM VNIVERSITATE DIE III. MENSIS AVGVSTI ANNI MDCCCLXXX

HORA XI

PIE RECOLENDAM

VICTORVMQVE RENVNTIATIONEM E LITTERARVM CERTAMINIBVS
PRODEVNTIVM

INDICIT

IOSEPHVS LANGEN
ORDINIS THEOLOGORVM CATHOLICORVM H. A. DECANVS.

INEST:

EIUSDEM DE COMMENTARIORVM IN EPISTOLAS PAVLINAS QVI AMBROSII ET QVAESTIONVM BIBLICARVM QVAE AVGVSTINI NOMINE FERVNTVR SCRIPTORE DISSERTATIO.

BONNAE
FORMIS CAROLI GEORGI VNIV. TYPOGR.

Commentarios in epistolas Paulinas qui Ambrosii, et Quaestiones biblicas quae Augustini nomine feruntur rursum examinare vix quisquam supervacaneum arbitrabitur. Satis enim notum est inter omnes, librorum illorum originem adhuc esse tam incertam, quam memorabilia quae iis contineantur. Neque solum qui in studia biblica incumbunt vel primorum saeculorum literis ecclesiasticis pervestigandis occupantur, verum etiam qui in historiam ecclesiae praecipue Romanae inquirere student: eorum omnium maxime interesse oportet, quis libros illos scripserit, quidve de illis iudicandum sit, si quidem fieri possit, accuratius cognoscere.

Neque Ambrosium, illustrissimum illum episcopum Mediolanensem commentarios, neque Augustinum, episcopum Hipponensem eundemque theologiae latinae patrem ac principem quaestiones illas confecisse, omnes consentiunt. Ignotus prioris libri scriptor iam inde a saeculo XVI. Ambrosiaster vocari solet. At primum quis sub huius nominis umbra lateat, deinde scripseritne idem quaestiones quoque, quae postea Augustino immerito tributae sunt, adhuc magis dubium est, quam fortasse libros recentiores perspicienti videbitur. Nam plerique hodie Hilarium, diaconum quendam Romanum, qui sub Damaso episcopo (366—384) vixit, utrumque opus composuisse statuunt, quam fragili haec opinio nitatur fundamento partim fortasse nescii. Novissime tamen cassum omnino quidam laborem dicere ausus est vel quaerere de commentariorum illorum scriptore, quippe qui a variis variorum temporum scriptoribus consarcinati esse videantur[1]).

Rebus ita constitutis, non facile quaestionem illam retractaremus, nisi prioribus coniecturis novam eandemque fortasse meliorem addi posse censeremus. Iam vero quae fata libri illi habuerint et quae iudicia experti sint, paucis exponamus.

Commentarii primum circa a. 420 ab Augustino memorantur, qui c. duas epist. Pelag. IV 4 n. 7 scribit: *Nam et sic s. Hilarius intellexit quod scriptum est: „in quo omnes peccaverunt“, ait enim: „in quo i. e. in Adam omnes peccaverunt“. Deinde addidit: „manifestum, in Adam omnes peccasse quasi in massa. Ipse enim per peccatum corruptus omnes quos genuit, nati sunt sub peccato“. Haec scribens Hilarius sine ambiguitate commonuit quomodo intelligendum esset: „in quo omnes peccaverunt“.* Illa enim verba Ambrosiaster ad Rom. V 12 adnotavit. Post Augustinum Cassiodorus († c. a. 565) commentarios tanquam ab Ambrosio scriptos attingere videtur scribens (de instit. divin. liter. c. 8): *Dicitur etiam et b. Ambrosium subnotatum codicem epistolarum omnium s. Pauli reliquisse, suavissima expositione completum, quem tamen adhuc invenire non potui, sed diligenti cura perquiro.* Certe commentariis usi sunt Amalarius (c. a. 820), Haymo († 853), Prudentius († 861), Hincmarus († 882) tanquam ab Ambrosio confectis.

---

1) J. Th. Plitt in Herzogs Realencyclopädie art. Ambrosiaster.

Inde cuncti medii aevi doctores Lanfrancus, Ivo Carnotensis, Gratianus, Petrus Lombardus, reliqui Ambrosium librum illum scripsisse opinati sunt.

Quam opinionem cum primus Erasmus a. 1527 falsam suspicatus esset, magis in dies episcopi Mediolanensis nomine et auctoritate orbatum opus quis vere scripserit quaerendi coniiciendique copia data est uberrima. Alii id ex Hieronymo et Chrysostomo ab ignoto quodam viro conscriptum, alii a Iuliano vel alio Pelagiano, alii a Remigio Lugdunensi, alii a Tychonio Afro, alii ab Hilario episcopo Pictaviensi, alii ab Hilario episcopo Papiensi, plerique autem ab Hilario diacono Romano confectum esse coniecerunt. Quibus coniecturis omnibus cum assentiri non possimus: nunc quidem nostram addere placet, Faustinum, presbyterum Romanum, Hilarii diaconi aequalem eundemque socium et commentarios et quaestiones, quae Augustini nomine inscribuntur, confecisse.

Commentarios non ex Hieronymi et Chrysostomi operibus consarcinatos esse, iam qui Ambrosii opera ediderunt Benedictini recte animadverterunt. Quae in prologo commentariis praemisso de hac causa adnotarunt, hic repetere supersedemus.

Pelagianum quendam, fortasse Iulianum episcopum Eclanensem, scriptorem fuisse nonnulli inde concluserunt, quod placita Pelagiana compluribus commentariorum locis inveniantur. At id falsa horum locorum interpretatione nititur, ut iam contra editores Augustini Lovanienses, Possevinum, Bellarminum, Iansenium, alios Petavius[1]), Garnerius[2]), Natalis Alexander[3]) satis demonstrarunt. Quae enim Oudinius[4]) de hoc argumento contra Natalem Alexandrum acriter disputavit, ea ad relinquendam hanc opinionem nos movere nequeunt.

Remigium, episcopum saeculi IX. Lugdunensem, commentarios scripsisse Maldonatus suspicatus esse dicitur[5]). Quod si re vera fecerit, eruditissimum Bibliorum sacrorum interpretem etiam illum Augustini locum fugisse optimo iure mireris.

Tychonium Afrum, donatistam saeculi IV., Ambrosiastrum esse criticus quidam, qui nomen suum prodere noluit, paucis verbis contendit, accuratiore se abstinens demonstratione[6]). At Romae Ambrosiastrum floruisse facile probari potest. Praeterea septem quas Tychonius de interpretanda s. scriptura composuit regulae cum opere, in quod inquirimus, parum consonant.

Hilarium episcopum Pictaviensem, celeberrimum doctrinae ecclesiasticae contra Arianos propugnatorem, scriptorem esse post Erasmum nemo defendit. Quicunque Hilarii scripta cum commentariis illis comparaverit, is maximum inter ea intercedere discrimen non negabit.

Post Petavium inter alios Ceillier[7]) Hilarium quendam episcopum Papiensem, Damasi episcopi Romani aequalem, commentarios scripsisse coniecit. Sed haec coniectura solo illo argumento fundatur, quod Augustinus *s. Hilarium* scriptorem designavit. Cum enim non Hila-

1) De Deo X 4, 5.

2) Append. ad part. I. op. Marii Mercat. diss. I c. 8 § 1; c. 9 § 1.

3) Hist. eccl. VII 257.

4) Script. eccl. I 482.

5) Cf. Tillemont Mémoires pour servir à l'histoire eccles. VII 3, 1402.

6) Münchener Archiv f. theol. Literatur I 80.

7) Auteurs sacrés VII 568.

rium diaconum Romanum, sectae Luciferianae addictum[1]), Hilarium tamen quendam Damasi aequalem scriptorem habere vellent: alium virum ecclesiasticum, cui nomen esset Hilarius, requirebant. Verumtamen episcopum, cuius nihil paene nisi aetatem compertam habemus, praetereundum esse arbitramur.

Restat, ut accuratius de Hilario diacono disputemus, quem post editores Augustini Lovanienses (1576), Ricardum Simonem[2]), Cave[3]), Natalem Alexandrum[4]) plerique hodie scriptorem esse iudicant. Contra quam sententiam diversa iam a diversis criticis argumenta in medium prolata sunt. Alii diaconum Luciferianum ab Augustino *sanctum* vocari potuisse negarunt: alii complures Ambrosiastri locos a Luciferianorum placitis abhorrere affirmarunt. Quae contra alteram hanc sententiam iam a Natali Alexandro, Tillemontio, aliis dicta sunt, probanda nobis videntur. Nec vero Hilarium diaconum ab Augustino laudatum vel *sanctum* vocatum esse concedimus. Cum enim a Bellarmino[5]), qui tametsi scriptorem haereticum putat, *sanctum* eum sicut omnem paene virum ecclesiasticum antiquitus nominatum esse contendit, dissentimus: tum a Pagio[6]), Natali Alexandro (l. l.), A. Merenda[7]), qui Hilarium diaconum postea a secta Luciferianorum ad ecclesiam catholicam revertisse sine ulla ratione coniiciunt. Contra magnopere considerandum nobis videtur, Augustinum loco illo cum Pelagianis decertantem certe non satis ignobilem diaconum Luciferianum, sed scriptorem celeberrimum, nomine et auctoritate insignem laudare voluisse. Quapropter non dubitamus, quin neminem nisi Hilarium Pictaviensem verbis illis laudaverit, huic ergo immerito quidem tribuerit commentarios. Quomodo enim factum sit, ut iam Augustinus operis illius scriptorem nesciret, postea ostendere conabimur. Pro scriptore autem semel ignoto quis potius substituendus erat illo, qui primus inter Latinos probati Bibliorum sacrorum interpretis nomen merebatur? Namque opus illud eruditione non mediocri instructum accurataeque disciplinae exegeticae testem non a tirone quodam, sed ab interprete exercitato literarumque peritissimo confectum esse unusquisque habuit persuasissimum. Hieronymum eum non esse cuncti noverunt. Alium igitur necesse erat virum doctum reperiri, cuius nomine commentarii non indigni viderentur. Itaque nemo praesto erat nisi Hilarius Pictaviensis. Quem cum re vera librum non scripsisse constet: ex Hilarii nomine ab Augustino memoriae prodito ad quaestionem nostram diiudicandam argumentum promere non licet. Hilarium igitur diaconum commentarios scripsisse, nullo modo probari potest.

Tot tamque infaustis conatibus non territi scriptoris pergamus vestigia etsi minus pervia scrutari. Iam primum quidem quaeritur, utrum totum ab uno opus conscriptum sit, an ex variis partibus paullatim in unum accreverit. Textum eius non integrum usque ad nostra tempora servatum esse negari non potest. Nam sicut editores Benedictini adnotant, codices inter

---

1) Hieron. Dial. c. Lucif. n. 21. 27.

2) Hist. des comment. du N. T. Rotterdam 1693 p. 134.

3) Script. eccl. I 263.

4) Hist. eccl. VII 255.

5) De script. eccl. Coloniae 1617 p. 65: *nuncupatio sancti tunc satis communis fuerit christianis praesertim ecclesiasticis.*

6) Crit. ad. Baron. annal. a. 362 n. 5.

7) De s. Damasi papae opusc. et gestis c. 22 n. 6.

se satis dissentiunt, praecipue codice Corbeiensi singularem textum exhibente, atque multa a Rabano Mauro, Lanfranco, aliis medii aevi doctoribus ex Ambrosiastro proferuntur, quae aut in nullo aut in paucis nostrorum codicum inveniuntur. Certe igitur, id quod saepissime in commentariis biblicis vel sermonibus ecclesiasticis factum est, ex alio in aliud opus multa transcripta, alia rursus extincta sunt. Quare textus, qualem quidem nunc habemus, integer ex unius scriptoris manibus provenisse non potest. Verumtamen alia est quaestio, utrum unus totum opus scripserit, an varii varias eius partes confecerint interpretes. Iam enim editores Benedictini ex compluribus lucubrationibus opus exortum esse suspicati sunt. Quorum sententiam nuperrime J. Th. Plitt (l. l.) secutus est, varia variarum partium indole, uti opinatur, cognita. Commentarios enim in epistolam Romanis inscriptam breviores, in epistolas Colossensibus et Philippensibus missas longiores esse iudicat. Ita commentarios illos inter se differre non concedimus. Contra satis probare posse nobis videmur, unum eundemque in omnes epistolas commentarios perfecisse.

Primum scriptor aut alias commentariorum partes tanquam suas commemorat, ut Gal. III 22 commentarios in epistolam Romanis datam; 2 Cor. II 5 commentarios, quos in priorem epistolam Corinthiis missam scripserat; 1 Thess. IV 12 explicationem, quam in Phil. II 27 fecerat: aut eandem interdum interpretationem repetit, qua alibi usus est. Tum eandem per totum opus scribendi rationem adhibitam, eadem placita theologica tradita, easdem sectas explosas invenimus.

Praeter multa exempla, quae postea afferemus, pauca hic adnotare placet. Eph. VI 21 *pax ianua dilectionis*, 1 Tim. V 11 *deliciae ianua peccati* vocatur. Omnem actionem ceterum licitam peccatum esse si aliter fiat ac lex postulet, traditur Rom. I 27. XIV 23. 1 Cor. VIII 13. IX 18. 2 Cor. XII 21. 1 Tim. I 8. Avaritia et idololatria coniunguntur 1 Cor. II 5. Eph. V 5. Col. III 5. Feminam viro subiectam esse quod ex ea peccatum exortum sit 1 Cor. XI 5. 8. XIV 34. Col. I 18. 1 Tim. II 13. Secundas nuptias non benedici 1 Cor. VII 40. 1 Tim. III 12. V 3. Incarnatione Filii Dei homines *divinitatis divitias acquisivisse* vel *coelestes* factos esse 2 Cor. VIII 9. 1 Tim. I 15. *Famulantibus* vel *baiulis nubibus* vel *ministra nube* Christum ad coelum ascendisse Rom. VIII 38. 1 Thess. I 9. IV. 14. 1 Tim. III 16. Apostoli Christi vicarii vel legati nominantur 1 Cor. III 9. V 3. XI 8. 2 Cor. II 10. 15. V 19. VIII 18. X 2. Eph. III 1. VI 18. Apostoli eorumque socii episcopi vocantur Rom. XV 30. XVI 21. 1 Cor. XII 28. XVI 10. 2 Cor. VIII 22. Eph. IV 11. Phil. I 1. 1 Thess. I 1. III 5. 1 Tim. prol. I 3. 18. Tit. prol. Cur Epaphroditus et Trophimus a Paulo apostolo non mirabiliter sanati sint, Phil. II 25 et 2 Tim. IV 19 iisdem paene verbis explicatur. Ecclesiam *corpus Christi novum* efficere Eph. II 16. Phil. II 1. Omnem ecclesiam *duos populos* vel *duas partes* i. e. bonos et malos complecti Rom. XVI 23. 1 Cor. I 4. 2 Cor. II 5. 1 Thess. III 5. De *vitandis* iniustis 1 Cor. V 12. 2 Thess. III 13 similibus verbis agitur. 1 Cor. XII 28 legimus: *Illos dicit doctores qui in ecclesia literis et lectionibus retinendis pueros imbuebant more synagogae, quia traditio illorum ad nos transitum fecit*; Eph. IV 11 autem: *Magistri sunt . . ii qui literis et lectionibus imbuendos infantes solebant imbuere, sicut mos Iudaeorum est quorum traditio ad nos transitum fecit, quae per negligentiam obsolevit.* Infideles, haereticos, schismaticos solos aeternas poenas daturos esse Rom. II 4. 5. 9. 16. V. 14. 1 Cor. III 15. XV 41. Eph. VI 18. 1 Thess. IV 12. 2 Thess. I 6. 2 Tim. II 20. In

adventu Domini superstites per mortem quasi *per soporem* transituros esse 1 Cor. XV 53. 1 Thess. IV 14.

Sed qua aetate scriptor floruit? Certissima quidem temporis nota inveniri videtur 1 Tim. III 15, ubi legitur: *cuius (ecclesiae) hodie rector est Damasus.* Damasum enim dicit episcopum qui ecclesiam Romanam regebat a. 366—384. Verumtamen de verbis illis in utramque partem multum acriterque disputatum est, aliis ea genuina, aliis postea addita esse iudicantibus. Utri recte iudicaverint, solummodo ex sententiarum contextu cognoscere licet, quem iam in medium proferri oportet. Ad apostoli verba, se Timotheo scripsisse, ut sciret, quomodo in domo Dei, i. e. in ecclesia, conversaretur, adnotat Ambrosiaster: *„scias, quomodo ecclesiam ordines, quae est domus Dei, ut cum totus mundus Dei sit, ecclesia tamen domus eius dicatur, cuius hodie rector est Damasus. Mundus enim in praevaricatione est, diverso turbatus errore; ideo illic necesse est dicatur esse domus Dei et veritas, ubi secundum voluntatem suam timetur.* Proxime quidem illo apostoli loco de ecclesia Ephesina agitur: tum vero Ambrosiaster utrum totus mundus an ecclesia domus Dei appelletur, enucleare studet. Cui explicationi sententia illa: *cuius hodie rector est Damasus* aliena et inconnexa inserta est. Ea omissa multo melius quam adiuncta verba insequentia cum praecedentibus cohaerent. Accedit, quod tunc quidem temporis, ut etiam Tillemontius rectissime animadvertit[1]), episcopus Romanus nondum (totius) ecclesiae rector appellabatur. Primum Innocentium episcopum Romanum a. 402 sibi ipsum hunc titulum tribuisse invenimus[2]): longo tamen demum post temporis spatio eum iustum rectumque ab omnibus agnitum esse scimus. Quas ob causas facere non possumus, quin verba illa textui interposita censeamus: aut multo post, si more consueto explicantur, aut ipsius Damasi tempore, si alio modo intelliguntur. Etiam Augustinus ea circa a. 420 nondum legisse videtur, si quidem Hilarium Pictaviensem commentariorum scriptorem laudavit. Nam Hilarius haud ita multo post mortuus est, quam Damasus episcopatum Romanum iniit. Quodsi igitur iam Augustinus verba illa legisset, Hilarium scriptorem nominare vix potuisset.

Certiorem temporis notam invenimus 2 Thess. II 7, ubi Ambrosiaster *novissime Julianum* ecclesiam persecutum esse dicit. *Novissime* vocabulum idem sane denotare posset quod *postremo:* sed hoc loco id positum esse pro *nuperrime* vel *recentissime* vocabulis ex sententia insequente apparet. Mysterium enim iniquitatis a Nerone inceptum esse Ambrosiaster dicit usque ad Diocletianum et novissime Iulianum, qui arte quadam et subtilitate coeptam persecutionem implere non potuerit, et deinde dicere pergit: *His enim ministris utitur satanas, ut interim sub turba deorum ad seducendos homines unius veri Dei manifestationem illudat, quamdiu steterit regnum Romanum.* Iulianum igitur non ultimum ecclesiae persecutorem designare videtur, sed eum, qui nuperrime *coeptam persecutionem implere non potuerit.* Quare brevi post a. 363 scriptor vixisse iudicandus est.

Ad hoc tempus verbis quoque Rom. XII 10 revocamur: *Sunt quidam etiam in hoc tempore quo pax est qui sic perhorrent verba Dei, ut audientes cum magna ira blasphement viam Christi.* Ex iis enim persecutionem non diu praeteriisse et acerbissimas inter christianos

---

1) Mémoires VII 3, 1402.

2) Cf. Coustant Epp. Rom. pontt. p. 739.

et paganos inimicitias intercessisse cognoscitur, quales praecipue Romae saeculo IV. exeunte gestas esse scimus.

Cum tempore supra statuto concordat eadem ex causa Col. IV 5 quoque, ubi de conversatione cum infidelibus ineunda consilia dantur, quae sic clauduntur: *Si caput i. e. rex assentit corpori, tunc est libertas loquendi verba Dei cum mansuetudine ut provocentur ad bonum. Perstrepentibus tamen et animosis ad convicia semper cedendum.*

Quadrant praeterea optime ad illud tempus 1 Cor. I 26 verba, quibus scriptor paucos tantum sapientes, fortes, nobiles christianorum inimicos esse dicit, maximeque haec: *ipsi etiam nobiles per quos superstitionis suae originem antiquitati assignant, nos novellos dicentes.* Duce enim Symmacho, postea Urbis praefecto, senatores Romanos Gratiano et Valentiniano II imperatoribus a. 382 et 384 libellos obtulisse notum est, quibus ut antiquam Romanorum religionem contra novam christianorum doctrinam defenderent precati sunt[1]). Nisi haec ipsa praecatio fortasse a. 382 hoc loco intelligenda sit, scriptor sententiam aperuit, quam nobiles, praecipue senatores Romani tunc temporis tuebantur.

Denique Gal. I 19 verba: *Quidam ducti insania hos veros Domini fratres de Maria natos impia assertione contendunt* ad Helvidium applicari possunt, qui circa a. 383 Romae contra doctrinam de Maria traditam disputavit.

Cum altera ex parte iam Augustinus circa a. 420 commentariis utatur: termini intra quos opus scriptum sit inventi esse videntur.

Cum quo iudicio quae libro continentur cuncta consentiunt. Doctrina, tractandi et interpretandi ratio, scriptores laudati, haeretici refutati, cetera eiusmodi sunt, quae apud virum saeculi IV. reperienda esse opinemur. Posteriorum temporum vestigia hic extant nulla. Bibliorum interpretatione latina scriptor usus est vetere quam vocant Italam. Nam ubi secundum recentiorem Hieronymi interpretationem correcta esse videtur: id postea, ut fieri solebat, a librariis factum est. Soli laudantur (Rom. V 14) Tertullianus, Victorinus, Cyprianus. Refutantur per totum opus saepissime Ariani; deinde Montanistae, Novatiani, Manichaei, Donatistae, Photiniani (Rom. II 16. 24. 1 Cor. I 13. II 1. IV 10. VI 18. VII 2. XIII 2. Gal. prol. I 1. III 1. Phil. I 1. 1 Thess. V 18. 1 Tim. III 11. 2 Tim. II 20. III 6. IV 3. Tit. III 9); Sabelliani quoque (ut 1 Cor. II 1); Symmachiani[2]) (Gal. prol.); denique Patriciani (1 Tim. IV 1).

Praecipue ex doctrina quam Ambrosiaster tradit theologica eum ante Augustinum scripsisse apparet. Per totum enim opus de Dei gratia et libero hominis arbitrio doctrina talis exponitur, qualis ab omnibus paene ecclesiae doctoribus tradebatur, priusquam ab Augustino contra Pelagianos disputante accuratius expolita esset. Ita Rom. VI 13 docet: *cui cum arma per opera bona praebemus, dignos nos facimus adiuvari ab ea, quia iustitia Dei indignos despicit.* Rom. VIII 30: *Vocare est cogitantem de fide adiuvare aut compungere eum quem scit audire.* 1 Cor. VII 9: *illum Deus iuvat quem videt tota virtute contendere.* 1 Cor. XVI 32: *Spiritus subiectus dicitur, ut conatus bonos adiuvet, cum suggerit; subiectus enim videtur qui coepta alterius perficit.* Phil. II 12: *Deum bonos conatus adiuvare testatur, omnem enim gratiam semper reportat*

1) Cf. Symmachus Ep. X 54.

2) Ii erant Nazaraei, cf. August. c. Faust. XIX 4. 17; c. Crescon. I 31.

ad Deum, ut nostrum sit velle, perficere vero Dei. 1 Tim. II 1: *Vult Deus omnes homines salvos fieri, sed si accedant ad eum; non enim sic vult, ut nolentes salventur, sed vult illos salvari, si et ipsi velint . . Numquid medicus non idcirco proponit in publico, ut omnes se ostendat velle salvare, si tamen ab aegris requiratur?* Praedestinationem divinam operum hominum praescientia niti saepissime tradit, ut Rom. VIII 28 sqq. IX 11. 14. 16. 21 sqq. XI 2. Eph. I 4. Phil. III 12. 2 Thess. II 12. 14. 2 Tim. I 9. Inde non cum aliis scriptorem semipelagianum fuisse, sed ante Augustinum scripsisse concludimus.

Etiam de Trinitate doctrina apud Ambrosiastrum eo tantum progressa est, ut Spiritus sanctus ex Patre processisse et Patris Filiique simul Spiritus esse praedicetur: cum inde ab Augustino celeberrima *Filioque* formula inter Latinos magis in dies promulgata sit. Sententiae illae inveniuntur Rom. VIII 8. 27. XI 36. 1 Cor. II 11. XII 6. 11. 2 Cor. I 21. Eph. III 17. 1 Thess. III 9 rel.: *Filioque* nusquam.

Epistolam denique Hebraeis inscriptam Ambrosiaster interdum ut 2 Tim. I 3 laudat, nec tamen ut Paulinam, nec commentariis instruit. Id accurate quadrat ad eam opinionem, quae de hac epistola inter Latinos ante Augustinum erat vulgatissima.

Unum solum argumentum post editores Benedictinos, Ceillier[1]), alios novissime Plitt (l. l.) in medium proferre potuit ad probandam sententiam, ex parte saltem posteriore aetate opus esse perfectum. Scriptorem enim Phil. II 9 sqq. Adoptianorum saeculi VIII. doctrinam respexisse putant. Sed is locus magis saeculi IV. quam VIII. sentiendi dicendique rationem prodere nobis videtur. Quae enim in conciliis Ephesino et Chalcedonensi de Christi naturis decreta sunt, scriptor minime commemorat: immo priorum ecclesiae patrum et verbis et sententiis usus de Christo disserit. Tum prorsus alio modo haereticos, ut Marcionitas, Manichaeos, Novatianos, Photinianos, reliquos refutare conatur, atque eos qui Christo tanquam homini *nomen datum esse super omne nomen* ex apostoli verbis docere audebant. Hos non ut haereticos respuit, sed tanquam interpretes qui errarent vincere ac corrigere studuit. Ipsum nomen quo usus est *adoptionis* alio sensu apud eum legitur atque ab Adoptianis postea adhibebatur. *Adoptione Deus* vel *adoptivus Deus* in promptu habet: nunquam autem *adoptivus vel adoptione Filius Dei*, quae vox erat Adoptianis propria. Longe omnino aliter Alcuinus ceterique scriptores contra Adoptianos postea disputarunt, atque Ambrosiaster cum interpretibus illis concertat. Contra *adoptionis* vocabulum iam saeculo IV. exeunte apud theologos de Christi naturis disserentes etiamsi non tritum, tamen haud ignotum erat. Sed gravior haec causa est, quae brevi erit retractanda.

Quae cum ita sint, quin Ambrosiaster haud ita multo post Iulianum imperatorem scripserit non est dubitandum. Id quod etiam confirmari videtur altero illo opere, quod antea Augustini nomine inscribi solebat, si quidem ab eodem Ambrosiastro compositum est. Sed iam crescere videmus iudicandi difficultatem. Quaestionum enim illarum duplex forma tradita est, neque unum omnes prodere videntur scriptorem, sicut post Erasmum multi censuerunt. Primum quidem quaestiones 127 in lucem productae sunt, quarum 47 *ex Vetere Testamento*, ceterae *ex Novo Testamento* inscriptae erant. Altera autem pars cum complures quaestiones complecteretur, quae

1) Auteurs sacrés VII 568.

ad V. T. pertinebant, ab editoribus divisa est, triginta ultimis quaestionibus praefixo titulo *ex utroque mixtim*. Ne is quidem quaestionibus prorsus convenit, cum quaedam neque ad V. neque ad N. T. pertinentes huic parti insertae sint. Postea auctum opus ex tribus codicibus, Sorbonico, Victorino, Germanensi apparuit, quaestiones 151 continens, alio ordine digestas, 56 ex V., 95 ex N. T. Quae operis editio quaestiones 61 (ultimae solum titulum, non textum) exhibet, quae in priore desiderantur: cum quaestionibus 37 careat, quas sola prior complectitur. Praeterea in nonnullis quaestionibus duarum editionum textus magis minusve, partim etiam omnino inter se differunt atque eadem in eadem editione quaestio compluries tractatur: ita ut diversas manus amplum hoc opus sustinuisse videatur. Attamen vetus quaedam collectio, quae postea augebatur, fortasse etiam minuebatur, antiquitus tradita sit necesse est. Nam cum pleraeque quaestiones dicendi docendique genere inter se consentiunt: tum a prima quaestione: *quid est Deus* per V. et N. T. historiam initio quidem opus ordine et consilio progreditur. Id quod in posterioribus operis partibus non cernitur. Rebus biblicis alienae ibi miscentur: sermones, homiliae, tractatus quaestionibus adiunguntur.

Sed iam quaestiones ex V. T. accuratius consideremus. Quae in altera editione inter duas primas quaestiones *quid est Deus* et *cur Deus mundum fecerit* inserta est: *adversum eos qui negant ad Deum aliquid pertinere* certe initio collectione non continebatur. Nam propria quaestionis biblicae forma destituta, est expositio quaedam, qua philosophorum ethnicorum doctrina refutatur. Collectioni igitur traditae nescio quis eam addidit quasi ad supplendam primam de Deo quaestionem. Nec tamen ipse eam finxit, sed a scriptore mutuatus est, qui persecutionum tempore, ante Constantinum igitur imperatorem vixerat. Philosophum enim inducit loquentem: *Nec martyrum quidem probandus est animus, qui Deum suum quem misericordem esse pronuntiant effusione sui sanguinis aestimant delectari*; et expositionem claudit: *Igitur nobis, qui Deum omnia nosse credimus, qui devote ad martyrium festinamus, inaestimabilis fructus, perpetua vita praestabitur*[1]).

Secreta hac quaestione, quae postea inserta est, 35 primae quaestiones unum eundemque scriptorem manifesto produnt. Ut ea tantum commemoremus, scriptor qu. 6 *sicut dixi* verbis qu. 5, eodemque modo qu. 16 laudat qu. 10 et 11. Improbanda etiam Oudinii est opinio, qui qu. 4. 5. 11. 12. 13. ex Alcuini in Genesin quaestionibus exscriptas esse putat[2]). Alcuini qu. 14 et 15 epitomae sunt quaestionum 4 et 5, et prior male inserta videtur. Alcuini qu. 228 modo aliquanto brevior est quaestione 11. Eius quaestione 174 retractatur qu. 12. Denique eius qu. 183 non solum satis male ex qu. 13 excerpta est, sed uno loco etiam clarius scriptorem posteriorem prodere videtur. Cum enim qu. 13 Sodomitarum infantes a gehenna liberi esse dicantur: Alcuinus id corrigit scribens: *ut levius crucientur vel omnino non*. Praeter illas autem, id quod criticos fugit, aliis quoque quaestionibus Alcuinus usus est, sicut eius qu. 5 cernitur, quam ex qu. 1 deprompsit.

Quando illae qu. 35 scriptae sint, quamquam ex iis non evidenter apparet: tamen nihil impedit, quin cum ceteris saeculo IV. exeunti tribuantur. Immo qu. 35: *gentiles in potestate positos esse* legitur: id quod ad res illo tempore Romae constitutas optime quadrat.

---

1) Eam nisi quis forte alibi invenerit, nos quidem ex libro sumptam esse suspicemur, quem *de fato sive contra mathematicos* inscriptum Minucio Felici tribui Hieronymus ep. 83 (al. 84) et de vir. illustr. c. 58 tradit.

2) Script. eccl. I 486.

Quae in priore editione sequuntur qu. 36—42, extant in altera quoque, sed retractatae atque mutatae: qu. 43—47 autem in altera desiderantur. Contra altera editio illas 7 et 13 alias exhibet, quae priori desunt, non separatas, sed promiscue inter reliquas ordinatas. Utrumque ordinem librarii instituisse videntur, ut quaestiones communiter eodemque modo traditas iis anteponerent, quae in altera editione aut aliter extarent aut prorsus desiderarentur.

Utrum quae in una solum editione inveniuntur quaestiones postea additae sint necne, merito dubites. Quare primarum quaestionum scriptori non temere tribuendae videntur: certius quidem eae, quarum duplex forma traditur. Duplicem hanc formam interdum librariorum manibus deberi facile cognoscitur. Ita qu. 36 exordium: *alio sensu scriptura locuta est quam propositum est rel.* in altera editione deest, et quaestio non prorsus eodem modo solvitur. Item qu. 40 de Trinitate disputatio expositioni miscetur accurate sicut ab Ambrosiastro Gal. IV 26, cum eadem in altera editione (55) simplicius tractetur. Qu. 41 librarius quidam notam criticam praefixit: *Si videtur hic errasse in ista sententia, non est accipiendum quod dixit:* quae verba, in altera editione omissa, ad ipsum scriptorem referri non possunt.

Quae sola altera editione exhibentur quaestionum secunda iam supra illustrata est. Qu. 42 de eadem causa agitur, de qua qu. 123 prioris editionis, sed tam diverso modo, ut ne minima quidem sententiarum similitudo inter eas inveniatur. Qu. 42 autem certe antiquam esse unusquisque concedet. *Quidam*, inquit scriptor, *dementes Spiritum sanctum ipsum Patrem dicunt, sicut et Sabellius ipsum dicit Patrem quem et Filium*; et postea: *nec in Filio nec in Patre solo perfectio est vel salus, sed in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Quibus sententiis in memoriam nobis revocatur tempus, quo de Spiritu sancto doctrina nondum ab omnibus agnita fuisse videtur, tempus dico concilii primi Constantinopolitani (381). Qu. 40 sententia pronunciatur, nullam naturam malam esse nisi praevaricationem: id quod qu. 1. 2. 9 rel. quoque exponitur. Eam igitur iam initio in quaestionum collectione infuisse statuere licet. Idem iudicandum videtur de qu. 45, qua Filius Dei proxime in anima Christi humana inhabitasse dicitur atque omnino de Christi persona ita docetur, ut Hilarium, Ambrosium, Hieronymum docuisse notum est. Ceterae quoque quaestiones quae sola altera editione traduntur, nulla posterioris originis vestigia praebent.

Num contra quae sola priore editione quaestiones exhibentur ab eodem cum ceteris confectae sint scriptore, magis potest dubitari. De qu. 43 nullam suspicionem habemus. Nec de qu. 44 inde suspicio oritur, quod multo fusior aliis tractatus est. Antiquam eam esse cum solius Tertulliani commemoratio et omne quod continet, tum vero accurata quam prae se fert temporis nota demonstrat: *A tempore*, inquit enim scriptor, *primi anni Darii regis Persarum usque ad nativitatem et passionem Domini et excidium Jerusalem quod factum est per Vespasianum imperii Romani principem impletae sunt hebdomadae septuaginta, quae sunt anni quadringenti nonaginta, qui computus per regna et per successores imperii manifestus est. Et quis ambigit de hoc numero, cum trecenti circiter anni nunc super hunc numerum inveniantur?* Huius igitur quaestionis scriptor certe circa a. 370 floruit. Potius quidem qu. 45 ab antiqua collectione aliena fuisse videtur. Idem enim ea argumentum tractatur quod qu. 21, sed prorsus alio modo. Nec tamen, ut postea videbimus, alium illa quaestio prodit scriptorem. Qu. 46 quoque ratio cernitur a priorum quaestionum valde diversa. Id quod nullo illarum loco animadvertimus, accusare incipit scriptor adversarios. *Sunt quidam*, inquit, *inter nos, qui partim negotiis saecu-*

laribus occupati, partim minus studiosi circa scripturas sacras errorem patiuntur, putantes Samuelem sacerdotem fuisse rel. Ac vehementer quidem brevi post irascitur dicens: *satis stultum est quod dicunt, et stulto suadere quod bonum est laboris est maximi. Quanta enim hebetudine ducuntur, ut sole apparente super terram dicant quia nox est*; et: *contradictores clausis oculis . . inquiunt rel.* Sed hanc quoque quaestionem etsi non eiusdem cum ceteris corporis, tamen eiusdem scriptoris propriam esse ostendemus. Omni suspicione caret qu. 47, interdum etiam tractandi rationem in mentem revocans, quae in primis quaestionibus cernitur.

Iam ad quaestiones ex N. T. sumptas transeamus. Earum 32 in sola priore editione inveniuntur, ex quibus 28 in calce operis positae sunt. Reliquarum quatuor una, qu. 78, ex altera editione fortuito excidisse videtur. Nam qu. 77 in priore editione exitus hic est: *ea enim quae compendio brevitatis studens evangelista complexus est discutientes invenimus quod latebat.* Id in altera editione ita vertitur, ut quaestionem proponens vituperetur: *Hoc quod per compendium propositum est, ut plus sensum posset occulere rel.* Qu. 78 autem illum arguere pergit: *Semper breviata propositione sensum occultas.* Melius igitur haec quaestio ad alterius quam prioris editionis textum quadrare videtur: quare eam semper illi defuisse vix statuere licet. Etiam qu. 70. 88. 94 casu quodam altera editione omissae esse possunt.

Aliter de ultimis prioris editionis quaestionibus in altera desideratis iudicandum videtur. Qu. 100, cuius exordium hoc est: *Audistis fratres carissimi quae contestetur evangelium rel.*, homilia de Matth. XI 25 sq. esse cognoscitur, quaestionum collectioni minus apta. Sequens tractatus *de iactantia Romanorum levitarum* (qu. 101) a quaestionibus biblicis prorsus alienus est. Disputare se dicit scriptor contra Falcidium quendam, qui *duce stultitia et civitatis Romanae iactantia* diaconos sacerdotibus coaequaverit. Ecclesiae Romanae diaconos coercet, ita omnino in hac causa versatus, ut ecclesiae Romanae statum, qualis Hieronymi temporibus fuerit, eum descripsisse cognoscas. Atque etiam ipsa illa commentatio tam similis est Hieronymi ep. 146 ad Evangelum, ut huius quasi quaedam epitome a multis iudicata sit. Quod iudicium nos quidem probare non possumus. Quamquam enim nonnullae sententiae duobus scriptoribus communes sunt: diverso tamen modo explicantur. Praecipue scriptor ille quamvis cum Hieronymo consentiat, eosdem initio fuisse presbyteros atque episcopos: alia tamen ratione hanc sententiam persequitur. Cum Ambrosiastro episcopos primos presbyteros fuisse docet: Hieronymus vero cum ad Tit. I 5 tum epistola illa differentiam inter presbyteros initio extitisse nullam, sed ad schismata evitanda ceteris unum presbyterum praelatum esse contendit. Deinde Hieronymo eo excellit, quod tota commentatione diaconos impugnat, cum ille maiore epistolae parte presbyteros episcopis pares et episcopum Romanum non superiorem ceteris esse demonstrare studeat. Priore enim causa latius tractata, alteram Hieronymus ita exponit: *Nec altera Romanae Urbis ecclesia, altera totius orbis existimanda est. Et Galliae et Britanniae et Africa et Persis et Oriens et India et omnes barbarae nationes unum Christum adorant, unam observant regulam veritatis. Si auctoritas quaeritur, orbis maior est Urbe. Ubicumque fuerit episcopus, sive Romae, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriae, sive Tanis, eiusdem meriti, eiusdem est et sacerdotii. Potentia divitiarum et paupertatis humilitas vel sublimiorem vel inferiorem episcopum non facit. Ceterum omnes apostolorum successores sunt.* Qua expositione quanto magis ad rem pertinet brevis alterius scriptoris adnotatio: *Quia Romanae ecclesiae ministri sunt, idcirco honorabiliores putantur quam apud ceteras ecclesias propter*

magnificentiam urbis Romae, quae caput esse videtur omnium civitatum. Si itaque sic est, hoc debent et sacerdotibus suis vindicare. Tum hic ne Romanos quidem diaconos *sedendi dignitatem in ecclesia praesumere* scribit: cum Hieronymus, postquam idem confirmavit verbis: *etiam in ecclesia Romae presbyteri sedent, et stant diaconi,* tamen quasi errorem corrigens addat: *licet paulatim increbrescentibus vitiis inter presbyteros absente episcopo sedere diaconum viderim*[1]). Denique alter scriptor Hieronymo fusius et proprio marte de suo argumento disserit, neque illius usquam, sed passim propriis iisdemque magis impolitis verbis usus est. Nulla igitur est causa, cur dubitemus, quin se primum Falcidio respondere recte contenderit. Multo probabilius Hieronymus ad Evangelum scribens tractatum illum prae oculis habuisse existimandus est. Atque considerantibus nobis ad eundem Evangelum Hieronymum de Melchisedech epistolam scripsisse, qua eum qu. 109 refutare apparebit, coniiciendum videtur, ut de Melchisedech, ita etiam de diaconis tractatum Evangelum presbyterum misisse Hieronymo, qui de eo iudicaret. Hic vero, cum de Melchisedech tractatum improbandum censeret, alteri adeo assensus est, ut nonnullas eius sententias quasi proprias suis ipsius verbis iterum explanaret. Non sponte eum illam epistolam scripsisse, sed ad scribendam compulsum esse ex ipsius exordio discimus: *Audio quendam in tantam erupisse vecordiam rel.* Quam epistolam quando Hieronymus scripserit nescimus: certe autem eam scripsit Roma relicta, i. e. post a. 385. Eo igitur anno praeterito qu. 101 quoque confectam esse apparet.

Longa quoque *contra Novatianum* disputatio (qu. 102), quamquam verbis et sententiis cum quaestionibus cognata, tamen a collectione, qualis initio erat, secernenda est. Qu. 103 ad simplicem quaestionum formam revertitur: atque id tantum suspicionem aliquam movet, quod in priore editione sola et quidem hoc demum loco quasi devia invenitur. Solita ratione qu. 104 Luc. XXII 49 sq. tractat: ita tamen, ut ex commentariis vel homiliarum collectione sumpta videatur. Finitur enim verbis: . . *humiliaret autem se humanae salutis causa, quod suo loco dicetur.* Scripta autem est, prius quam Donatistae, suadente Augustino, morte multarentur. Nam de Petro apostolo gladium stringente scriptor: *Didicit,* inquit, *praeterea, quia christianis iam factis occidere non licet. In misericordia enim positis lege iuris mundo crediti uti non licet aspere.* Neque a ceteris quaestionibus qu. 105 differt.

Aliam indolem prae se fert qu. 106, qua Genesis libri principium explicatur. Sed ea quoque certe ante Augustinum scripta est. Expectationis enim quam vocant chiliasticae vestigium quoddam exhibet verbis: *Illud vero quod septimo die requievit ab operibus suis, hoc significat, quia impleto sexto millenario annorum in septimo millenario requiescet, cessante iam mundo ab omni opere saeculari.* Cum aliis quidem quaestionibus, ut qu. 21. 41. 45. 56 V[2]), maxima est ei similitudo: nec tamen antiquissimae quaestionum collectionis pars fuisse videtur. Nam *quid,* inquit scriptor, *sit ad imaginem et similitudinem Dei, quamvis alibi diximus rel.:* quibus verbis sine dubio quaestionum opus significat. Verum Genesis libri explicationem continuare

---

1) Lectio cod. Veronensis maioris *audierim* pro *viderim* parum ad contextum quadrat, quam quae respicienda esse videatur.

2) Quaestiones alterius editionis numeris indicis significabimus qui in codicibus exhibetur, quaestionibus ex V. et N. T. inter se distinctis V et N literis. Quae igitur sine litera laudantur, priore editione continentur.

in animo habuit, ut ex qu. 107, qua eam persequitur, videmus. Hanc quaestionem cum illa proxime cohaerere, ex his verbis apparet: *Propter quorundam contentiones de re manifesta coacti sumus latius loqui, cum ipsa se lectio explanet . . Haec omnia supra memorata secundum mundi originem diximus.* Neque hae quaestiones a quaestionibus alterius editionis, in qua nunc quidem desiderantur, alienae sunt. Nam cum qu. 106 multo similior sit qu. 56 V quam qu. 41: qu. 107 in memoriam revocat qu. 54 V. Sequens tractatus (qu. 108), sitne Hebraei nomen ab Heber derivandum, fortasse ad eandem pertinet lucubrationem, cuius duae praecedentes quaestiones partes sunt.

De Melchisedech commentationem (qu. 109) non tam commentariorum in Genesin fragmentum, quam libellum habeas, quo scriptor contra adversarios infestissime disputet. Trita saeculo IV. exeunte controversia fuisse videtur, utrum divina an humana natura Melchisedech praeditus fuerit. Hieronymus quoque de hac causa ad Evangelum ep. 73 scripsit, atque quem ibi castigat de Melchisedech libellus optimo iure a multis illa de qua agimus existimatur commentatio. Hieronymi enim dicta accuratissime ad eam quadrant, quae non solum ea continet, quae ille refutat, sed etiam tam impolite scripta est, quam de libello castigato ille contendit. Quam petulanter scriptor commentationis adversarios aggrediatur, haec invectio ostendat: *Quid ad haec tam manifesta humana argumentatur subtilitas? Quae est tam versuta ingenii calliditas, quae audet resistere manifestis, ut non sensum capiat ex lectione, sed sensum tribuat lectioni? Vis infertur scripturis dominicis, ita ut etiam hos inimicos sentiat, qui auctoritati eius se inclinare videntur. Dicunt enim quidam non ita de Melchisedech debere credi, ut relatum est scripturis, ac per hoc ad sensum suum scripturas convertunt. Quibus melius esset aperte non recipere scripturas, quam dolose agere contra illas, ut sub nomine pacis paretur bellum et sub tegmine amicitiae lateat hostis.* Et iterum: *Dic quisquis es violentus, quomodo istud interpretaris? . . Desine, quisquis contentioni studes . . Non ergo admiranda sunt quae diximus de Melchisedech, quando scriptura ad confusionem obstrepentium plus addat et dicat. Post omnia enim laude digna, ut confundat malevolos ait rel.* Hieronymus autem a. 398 ad Evangelum presbyterum ita scribit: *Misisti mihi volumen ἀνώνυμον, ἀδέσποτον, et nescio utrum tu de titulo nomen subtraxeris, an ille qui scripsit, ut periculum fugeret disputandi, auctorem noluerit confiteri. Quod cum legissem, intellexi famosissimam quaestionem super pontifice Melchisedech illi plurimis argumentis esse perductam, ut docere conatus sit, eum qui benedixerit tanto patriarchae divinioris fuisse naturae nec de hominibus aestimandum. Et ad extremum ausus est dicere Spiritum sanctum occurrisse Abrahae et ipsum esse qui sub hominis figura visus sit. Quomodo autem Spiritus sanctus panem vinumque protulerit et decimas praedae, quas Abraham victis quatuor regibus reportarat, acceperit omnino tangere noluit: petisque ut quid mihi vel de scriptore vel de quaestione videatur respondeam. Fateor volui dissimulare sententiam nec me periculoso et φιλεγκλήμονι miscere tractatui, in quo quodcunque dixissem reprehensores habiturus forem. Sed rursum cum epistolam legerem et invenissem in extrema pagella miris me obtestationibus adiuratum, ne spernerem precatorem, revolvi veterum libros, ut viderem quid singuli dicerent et tibi quasi de multorum consilio responderem.* Et in extrema epistola legimus: *Quod si omnes repuleris, tuum certe spiritualem illum interpretem non recipies, qui imperitus sermone et scientia tanto supercilio et auctoritate Melchisedech Spiritum sanctum pronunciavit, ut illud verissimum comprobarit quod apud Graecos canitur: imperitia confidentiam, eruditio timorem creat.*

Videmus igitur, illum de Melchisedech tractatum ab Evangelo presbytero, scriptore non nominato, Hieronymo missum esse, qui de eo sententiam ferret. Hieronymi autem suspicio, fortasse Evangelum titulo nomen subtraxisse, minus probabilis videtur. Sed potius sicut Melchisedech ipse *ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ* tractatus circumferebatur, et praecipue ideo, quod nulla nominis auctoritate fultus erat, celeberrimum illum s. scripturae interpretem de iudicio Evangelus appellavit. Quomodo vero factum sit, ut libellus iam tunc parente orbatus esset, postea enucleare conabimur. Sufficit nunc quidem statuere, eum exortum esse a. 398 vel brevi ante.

Eiusdem fere sunt temporis, uti videbimus, qui sequuntur (qu. 110—112) commentarii in Psalmos I. XXIII. L, certe ab uno eodemque compositi. Idem scripsit qu. 113, dogmaticam magis quam biblicam: *cur Filius Dei missus sit, et non alius.* Satis enim perspicue Ps. XXIII interpretem se prodit. Sequens tractatus (qu. 114), qui *contra paganos* inscribitur, ad saeculum IV. exiens optime quadrat, quippe qui antiquae Romanorum religionis cum christiana concertationem nobis ante oculos ponat, eo quidem statu, ut christiana se brevi victricem fore sperare potuerit. Principium eius in medium proferre liceat et exitum: etenim ex illo contentionem non mediocrem superfuisse cognoscimus; hic vero nos admonet Hieronymi temporum, quibus homines divites atque nobiles, praecipue Romani, plures in dies sacra christiana amplectebantur[1]). Principium quidem hoc est: *Qua ratione pagani adversus nos audeant congredi aut fidem nostram impugnare, se autem putent absolutos esse non video*; exitus autem ille: *Quodsi odio digna res esset, aut aliquid haberet fallaciae, quotidie ex christianis fierent pagani. Porro autem, quoniam haec veritas est, quotidie omni hora sine intermissione deserentes Jovem, inter quos sophistae et nobiles mundi, qui eum Deum confessi erant, confugiunt ad Christum.*

Proxime cum hoc tractatu longior *de fato* commentatio (qu. 115) cohaeret, quam scriptor incipit verbis: *Nihil tam contrarium christiano, quam si arti matheseos adhibeat curam . . hanc enim astutia et subtilitas invenit diaboli.* Disputat enim contra astrologos, qui quaecunque accidant ex fato derivare conentur. Quae commentatio quin ab eodem, a quo praecedens, confecta sit scriptore non dubitamus, quod eadem saepius ratione *paganos* impugnat ac *tempus accessisse* videt, *quo diabolo interitus appropinquet.* Saeculum IV. exiens notari videtur etiam eorum commemoratione, qui solo nomine, non ex animo se christianos profiteantur: *Quid de quibusdam christianis dicemus, qui in salvatore ceu solo nomine mutati pristini erroris vindicant vanitatem, in tantum hebetati, ut ipsum Deum sub fato egisse contendant?* Quod nonnullis probatur locis, quibus Constantini tempus aliquantulum iam praeteriisse esse dicitur. Legimus enim: *homines cruci figi edicto prohibitum manere.* Item: *Tempore imperatoris Constantini manifestum est puellam in parte Campaniae immutatam in masculum et Romam perductam.* Denique: *Tempore Constantini morionem se triginta annis finxit quidam qui Samatius* [vel *Samsutius*] *vocabatur, ut imperatorem, sicut ipse postea dixit, a taediis suis avocaret.* Sed adhuc certiores temporis notas commentatio exhibet. *Scimus*, inquit scriptor, *laborasse fame Italiam et Africam et Siciliam et Sardiniam*, factum commemorans non diu praeteritum. Recte iam Natalis Alexander id in annum 363 incidisse putat[2]). Atque aliud scriptor attingit, cuius vestigia suo ipsius tempore nondum ex-

1) Cf. praecipue Hieron. ep. XLVI 11. LXVI 4. CVII 2. Legas etiam Prudent. c. Symmach. I 545 sqq.

2) Hist. eccl. VII 258.

tincta sint. *Quid dicamus*, inquit, *esse de Pannonia, quae sic erasa est, ut remedia habere non possit?* Hanc Pannoniae vastationem non esse a. 351 per Magnentium factam, ut post Garnerium[1]) Natalis Alexander opinatur, sed Valente imperatore mortuo (378) a Gothis exortam, Tillemontio[2]) facile concedendum videtur.

Qu. 116 homiliae de festo paschali fragmentum esse appellatio prodit *dilectissimi fratres.* Quae hic de generis humani redemptione traditur doctrina, eadem est, quae in ceteris quoque huius collectionis partibus invenitur. Alius igitur temporis vel scriptoris eam esse, non est cur suspicemur. Qu. 117—119 quoque de Abraham, Tobia, Iob, ut rursus appellatio *fratres dilectissimi* ostendit, homiliae sunt, sine controversia unius scriptoris. Etiam qu. 120 et 121 ad literas homileticas pertinent. Prioris homiliae de ieiunio *imminente die festo paschae* habitae scriptor se ipse inducit verbis: *Congruum est fratres carissimi devotissime Dei sacerdotem et praepositum plebis Christi exhortari populum sub cura sua positum in doctrina sana.* Quibus verbis se etiamsi non episcopum, episcopali tamen munere fungentem designat. Inter illam et ceteras huius collectionis homilias differentia extat nulla. Alterius homiliae (qu. 121) de paschatis festo extrema tantum verba tradita sunt, exclamationes et exhortationem continentia.

Qu. 122 de Filii natura divina et aeternitate agens eiusdem generis est, cuius reliquae de Trinitate expositiones, quas collectio exhibet. Qu. 123 eandem causam, sed plane alio modo tractari ac qu. 32 V, iam commemoravimus. A diversis eas compositas esse scriptoribus statueremus, nisi utraque antiqua et cum aliis collectionis partibus cognata esse videretur. Illa brevis quaestionis forma circumscribitur: haec longior commentatio est, ad quam componendam qua re compulsus sit scriptor principio narrat: *Comperi quosdam ex fratribus nostris non plene discussisse scripturas, sed simplicitate animi asseverare, quod Adam factus sanctum accepit Spiritum rel.* Quocirca illam quidem ad quaestionum biblicarum collectionem pertinuisse, hanc autem opusculum esse existimamus, postea fortasse specialem ob causam scriptum: priore deinde editione haec, altera illa recepta est. Qu. 124 sermo vel sermonis fragmentum videtur de divitum et pauperum peccatis: nec est, cur reliquorum opusculorum scriptoris eum esse negemus.

Qu. 125 sequitur contra Eusebium de divina Spiritus sancti natura disputatio. Fortasse altera quoque editio primo eam complectebatur. Huius enim indice ultima quaestio, cuius textus desideratur, *de Spiritu sancto* inscribitur. Eusebio iam mortuo (circa a. 340) eam scriptam esse, exordium ostendit: *Memini me in quodam libello Eusebii quondam egregii in reliquis viri legisse rel.* Sed altera ex parte eam antiquiorem esse Augustino inde cognoscimus, quod *Filioque* vocis loco eam de Trinitate doctrinam exhibet, qualem ante Augustinum in latina quoque ecclesia invenimus. *Et Spiritum sanctum*, inquit scriptor, *a Patre dicit procedere et de suo accipere; „et ideo, inquit, dixi: de meo accipiet, quia omnia quae Patris sunt mea sunt.“ Si a Patre procedit et de Filio accipit, quomodo Filii nesciat nativitatem, quando substantia eius substantia Filii est? Omnia enim quae Patris sunt Filii sunt. Sine dubio ergo Patris substantia et in Spiritu sancto est . . Nam sicut de se dixit Dominus, qui a Deo processit, ita et de Spiritu sancto testatur. Et ne hoc aliter possit interpretari: „a Patre, inquit, procedit et de meo accipiet“, ut a Patre*

---

1) L. l. diss. I c. 8 § 5.

2) Mémoires rel. VII 3 1403.

procedere hoc sit de Christo accipere. Nec enim aliud accipit, quam ipse est de quo accipit, quia accepisse de Christo de Deo processisse significavit. Scriptor igitur Spiritum sanctum etiam a Filio procedere non tradit, sed *a Filio accipere* idem esse existimat quod *a Patre procedere*: ita ut Spiritum sanctum Patris naturam a Filio vel per Filium accepisse doceat. Pergit enim postea exponere: *Quomodo ergo putas revelatum Deum Patrem a Filio Spiritui sancto, nisi quomodo ipse Dominus ait: „de meo accipiet"?* Omninoque non ex Patris et Filii communi quasi quodam fonte Spiritus sancti naturam derivare videtur, sed potius ex Patre per Filium. *Quod,* inquit, *vult Pater, hoc vult et Filius, et quod vult Filius, idem vult et Spiritus sanctus. Quamobrem aliquando dicitur Spiritus Dei, aliquando Spiritus Christi: „qui a Deo, inquit, procedit" et: „de meo accipiet".* Ac rursus: *Sicut Filius Dei secundus a Patre est, et divinitate minor non est, ita et Spiritus sanctus sequens a Filio est, non impar, sed aequalis divinitate substantiae.* Hanc solitam doctrinae formam esse, qualis ante Augustinum inter Latinos quoque tradebatur, unusquisque perspicit. Quapropter saeculo IV. exeunti commentatio illa tribuenda videtur.

Qu. 126 sermo est de vita vere christiana. Is quoque optime ad ecclesiae statum quadrat, qualem saeculo IV. exeunte fuisse scimus, praesertim cum ii vituperentur, qui ne severos christianorum mores induerent morituri demum christianum nomen profitebantur. Qu. 127 denique fusior est disputatio contra Manichaeos aliosque qui matrimonium illicitum esse docebant. Quam cum cetera quae continet, tum duo potissimum loci saeculo IV. exeunte confectam esse probant. Imperatorum enim edicta scriptor commemorat, quibus Manichaeorum scelera prodita sint. Imperatores illi fuisse videntur Diocletianus, quem Ambrosiaster 2 Tim. III 6 Manichaeorum doctrinam *sordidam et impuram haeresin* vocasse dicit, et Maximus, qui a. 385 duces Priscillianistarum, qui tunc Manichaei appellari solebant, Treviris capitis damnavit et Siricio episcopo Romano scripsit: *Quid adhuc proxime proditum sit Manichaeos sceleris admittere, non argumentis neque suspicionibus dubiis vel incertis, sed ipsorum confessione inter iudicia prolatis, malo quod ex gestis ipsis tua sanctitas quam ex nostro ore cognoscat, quia huiuscemodi non modo facta turpia verum etiam foeda dictu proloqui sine rubore non possumus*[1]). Post igitur a. 385 quaestio illa scripta videtur. Ad quam opinionem etiam alio loco perducimur, quo scriptor sacerdotibus et diaconis matrimonium vetitum esse hoc modo probare conatur: *Ac per hoc antistitem eius (Dei) puriorem ceteris esse oportet, ipsius enim personam habere videtur, est enim vicarius eius, ut quod ceteris licet illi non liceat, quia necesse habeat quotidie Christi vicem agere aut orare pro populo aut offerre aut tingere. Et non solum huic concubitus non licet, verum etiam ministro eius, quia ipse mundior debet esse, quia sancta sunt quae ministrat.* Hic ille disciplinae ecclesiasticae describitur status, qualis inde a synodo Illiberitana saeculi IV. initio habita in ecclesia occidentali instituebatur. Et expositio illa simillima est ei, quam in Siricii episcopi Romani epistola decretali a. 385 edita invenimus[2]). Rursus igitur temporis supra dicti scriptorem deprehendimus. A qua sententia pauca tantum verba dissentire videntur: *Nam secundum legem in ieiunio caedi et iurgari non licet, postea licet quia maior reverentia debetur Dei causis*: quae sine dubio quam medio aevo vocabant *treugam Dei* significant. At ea certe postea inserta sunt. Ad probandam enim sententiam,

---

1) Cf. Coustant l. l. p. 640.
2) Cf. Coustant p. 623.

nonnulla tum licere tum non licere, ceteris exemplis ultimum illud additum est et *nam* vocabulo male connexum. Eo deleto contextus optime restituitur. Similia qu. 68 quoque in calce subiecta sunt, quae ad reliqua non quadrant: *Si quis ergo christianus ad tempus vindicet, non acerbe neque cum sanguine, non peccat: melius tamen fecerit, si dimiserit iudici Deo.*

Quaestionum ex N. T. 27 in altera editione ita retractatae sunt, ut vel nulla vel levis tantum sententiarum differentia appareat. Utra forma prior fuerit, raro cognosci potest. Qu. 48 ex duabus eiusdem argumenti expositionibus exorta est, quarum una cum altera connectitur verbis: *est et aliud.* Quae verba cum alia sententia in altera editione omissa sunt: quo factum est, ut duae illae expositiones inter se male miscerentur. Certe qu. 72 in altera editione manus posterior proditur, vituperata ipsa quaestione quasi ab adversario proposita: *Frequenter qui compendium quaerit solet errare. Quid est, ut non omnia ad causam dicta proponas, sed aliqua reprimas, ut obscurior fiat sensus?* Eiusdem generis specimen ex qu. 77 sumptum iam protulimus. Qu. 79 eandem textus mutationem in priore editione deprehendimus, ubi verba anteposita sunt: *Aliter causa se habet quam proposita est; non enim hic quaestionis huius sensus est quem obtendis.*

De reliquis prioris editionis quaestionibus id solum notandum restat, qu. 98 idem tractari argumentum quod qu. 90, sed ratione satis diversa. Illa brevis homilia esse videtur, quae cum aliis scriptis similibus quaestionum collectioni postea adiuncta est, nec vero sentiendi dicendique genere a quaestionibus abhorret.

Sed iam eas ex Novo Testamento quaestiones perlustremus, quae sola altera editione continentur. Qu. 4 de evangeliorum ordine agens ad saeculum IV. exiens optime quadrat. Antiquitatem ipsa quaestionis forma prodit: *Quoniam constat quatuor libros rite conscriptos gestorum et dictorum Domini, sciendum quis ordo eorum sit*; itemque prima solutionis verba: *Evangelium ordinatione colligitur magis quam tempore. Ordinatio* autem ea est, ut Matthaeum Lucas, deinde Marcus, ultimus Ioannes sequatur propter librorum principia. Quem ordinem posteriores scriptores non retinuerunt, sed apud Chrysostomum invenimus ad Rom. hom. I 2, quam Antiochiae a. 391 habuit. Tunc igitur haud inusitatus fuisse videtur. Qu. 55 errori cuidam originem debet: pars enim est qu. 70. Qu. 52 et 53 inter se cohaerent, cum illa in altera *quaestio superior* nominetur. Item qu. 72 et 73 arctissime inter se coniunctae sunt. Alterius enim exordium hoc est: *Non valde discrepat a superiore quaestione. Unum enim verbum diversas habet significationes, sicut supra memoravi.* Qu. 75 et 81 dialogorum formis indutae sunt. Illius prima verba haec sunt: *Ipse dicta conferens satis tibi debueras facere. Nam sic solent dubii facere quaestiones, ut unius dicta, quae fas non est reprehendere, pugnantia et inimica quaerantur.* Haec autem inchoatur verbis: *Verba salvatoris retractare infidelis est, sed te video non de verbis salvatoris dubitare, sed sensum requirere quare rel.* Quae quaestionum initia etsi non postea addita sunt, tamen alienum scriptorem non produnt: etiam quae quaestiones illae continent aliena esse negamus.

Tota iam quaestionum collectione recensita, diversas eius partes non ad unum omnes corpus pertinere apparet. Pleraeque sane quaestiones ab initio uno complexu comprehensae fuisse videntur: sed ad hanc collectionem cum aliae quaestiones, tum disputationes, homiliae, tractatus accesserunt. Unam quaestionem, 2 V ex volumine ante Constantinum edito exscriptam

esse vidimus, reliquas autem, demptis librariorum additamentis, aut facile eundem prodere scriptorem, aut certe eidem tribui posse. Ex quibus nonnullas certiores temporis notas exhibere cognovimus. Statuimus igitur, qu. 44 circa a. 370 scriptam esse, qu. 101 post a. 385, qu. 109 a. 398 vel brevi ante, qu. 115 post a. 378, qu. 125 post saeculum IV. dimidium, sed ante Augustinum, qu. 127 post a. 385. Per totam autem collectionem eandem scribendi disserendique rationem retineri multis exemplis probari potest, quorum hic pauca tantum proferre placet.

Pro *manifestum est* ponitur *in absoluto est* qu. 25. 46. 47. 115, *absolutum est* qu. 84. Deum ibi esse dici, ubi appareat, scriptor exponit qu. 107. 111. Spiritum sanctum omnem creaturam superare qu. 106. 112. 56 V. De *materia invisa* vel *rerum confusione* i. e. chao agitur qu. 2. 107. 111. 54 V. 56 V. De die et nocte simili modo disputatur qu. 64. 107. Nabuchodonosor *Filium Dei in camino ignis vidisse* dicitur qu. 35. 49 V. De morte Achar qu. 36. 127. De ratione quae inter ps. 3 et 50 intercedat qu. 94. 102. 112. Gratiam maiorem in Novo quam in Vetere Testamento esse qu. 20. 88. 102. Mundum reformandum fuisse eodem tempore quo creatus sit qu. 55. 106. 40 V. Christum VIII. Cal. Apr. passum esse apparere qu. 55. 106. De innocentibus occisis qu. 13. 43. Legitur qu. 72: *Salvator non solum praesentia sui nuptiarum vota decoravit, verum etiam poculis honestavit*; qu. 127 autem: *non solum praesentia sua illustravit eas* (*nuptias*), *verum etiam contulit quod deerat ad laetitiam.* Iisdem quaestionibus Manichaei *nuptiarum aditus intercludere* dicuntur. Actus sacerdotales a sacerdotum meritis non dependere qu. 11. 102. 109. Scriptum est qu. 16: *Viri sublimis culpa grave peccatum est. Quantum enim persona eius sublimis est, tanto magis grave delictum eius*; qu. 102: *Quanto quis sublimior, tanto magis, licet leve peccatum eius, grave est crimen. Sicut enim humilitas in potente sublimis et magnifica est, ita et culpa eius pro crimine habenda est. Exceptis enim peccatis, quae constat omnibus esse illicita, non omnia licent potentibus, quae sunt concessa humilibus. Dignitatis enim homini negotiari deforme est, et popinam ingredi notabile est. Senatoribus quoque fenus infamia est. Si ergo in his levibus inventi notandi sunt, quanto magis rei constituendi sunt, si peccaverint?* qu. 124 denique: *In egestate servare iustitiam magnifica res est . . Magnificum si hic qui dignitate et copiis commendatur inclinet se.* Qu. 97 *astutiae calliditas* Arianis tribuitur; qu. 109 *quae est tam versuta ingenii calliditas* legitur; qu. 115 de *astutia et subtilitate diaboli* sermo est, omninoque scriptor tautologia uti solet.

Etiam alia exempla postea enumerabimus, quibus idem per totam collectionem scribendi genus retineri apparebit. Unde non unum quidem cunctas quaestiones corpus effecisse, sed ab uno omnes, paucis exceptis, scriptas esse concludimus. Eum saeculo IV. exeunte floruisse saepius iam monuimus. Cuius fortasse iam mortui varia opuscula a socio quodam collecta esse suspicamur: qua re fieri potuit, ut quaestiones biblicae cum ceteris eius commentationibus, homiliis aliorumque libellorum reliquiis in unum quodammodo corpus redigerentur. Cum vero scriptor maxime in studia biblica incubuisse videatur: iam scripseritne idem etiam Ambrosiastri commentarios quaeritur. Aetatem quidem convenire vidimus. Restat igitur, ut in disserendi genus, quod in utroque opere cernitur, accuratius quam adhuc a criticis factum est inquiramus [1]).

1) Pauci tantum loci a criticis notati sunt, a ceteris etiam pauciores quam a Dupin Novelle biblioth. des auteurs eccl. II 239.

Iidem paene haeretici et ab Ambrosiastro et a quaestionum scriptore commemorantur: Marcion Rom. I 1. 1 Cor. I 2. II 1. IV 10. XI 26. 1 Tim. IV 1. qu. 3. 72. 127. 65 N; Novatiani Rom. II 16. 1 Cor. I 13. VI 18. XIII 2. 2 Cor. XII 21. 2 Tim. II 20. qu. 102 (c. Novatianum). 58 N; Manichaei 1 Cor. I 2. 13. VII 2. Gal. I 1. Phil. I 1. 1 Tim. IV 1. qu. 3. 72. 127. 65 N; Sabelliani 1 Cor. II 1. qu. 72. 42 V; Ariani 1 Cor. I 13. qu. 23. 72. 97. 92 N; Photiniani Rom. I 1. II 24. 1 Cor. I 13. IV 10. Gal. prol. I 1. III 1 Phil. I 1. qu. 23. 56. 72. 91. 60 N. 65 N; Iudaei et pagani et ab Ambrosiastro et in quaestionibus passim, praecipue Rom. II 4. 8. V 13 sq. 1 Cor. I 19 sq. rel. qu. 44. 114. 115.

Praeterea multae et sententiae et locutiones pariter in utroque opere inveniuntur. Pro *manifesti* vocabulo *absolutum* in quaestionibus poni iam memoravimus: addimus nunc, eodem sensu Phil. II 19 legi: *absoluta sunt haec, nec interpretatione egent. Apophoreta* graeco vocabulo scriptor ad dona significanda utitur Rom. I 1. Eph. III 9. 11. qu. 123. *Sacramenti* vocabulo saepissime utitur ad Trinitatis vel incarnationis mysterium denotandum: *sacramentum divinitatis, Dei, Christi rel.* Rom. I 2. III 20. VII 24. XV 9. XVI 25. I Cor. IV 1. X 1. 2 Cor. II 15. IV 7. Eph. III 2. 9. V 31. Phil. I 9. Col. II 1. 1 Thess. III 9. 1 Tim. I 8. 12. 15. qu. 47. 84. 87. 95. 97. 102. 111. 112. 113. 114. 121. 122. 123. 127. 37 N. 67 N. Compluries etiam tautologia usus *sacramentum mysterii* dicit, ut Rom. III 20. Eph. V 31. 1 Tim. III 16. qu. 91, vel *mysterium sacramenti* ut Col. II 1, et *sacramentum iurisiurandi* qu. 47 V. Persaepe *diffidendi* vocabulum religioni christianae fidem denegare significat: Rom. I 16. II 8. 11. 16. 21. III 4. V 6. VII 5. IX 16. X 6. 12. 17. 19. XI 1. 11. 19 sq. 24. 32. XV 4. 1 Cor. I 9. 20 sqq. 27. 29. XV 22. 2 Cor. II 15 sq. Phil. II 14. 1 Thess. II 14. Tit. I 14. qu. 44. 73. 99. 122. 38 N. *Esse* vel *non esse contrarium* locutionem scriptor amat: Eph. IV 7. V 2. Phil. II 10. qu. 10. 64. 71. 74. 78. 97. 41 V. 3 N. 38 N. 61 N. 67 N. 72 N. 75 N. 77 N. *Hebetare* sensu activo et passivo, *hebetudo, hebes* vocabula saepius ponit: Rom. I 20. 23. 28. V. 5. Gal. I 6. III 20. V 3. qu. 27. 44. 46. 53. 95. 97. 106. 107. 114. 115. 117. 127. 17 N. *Praevaricare* pro *praevaricari* Rom. V 12. 14. qu. 40 V. 75 N; *apostatare* Rom. XII 16. 1 Cor. VII 10. qu. 40; *deteriorare* sensu passivo Rom. IX 29. 1 Cor. X 12. qu. 38 V, sensu activo qu. 127; *meliorare* sensu activo et passivo Rom. V 6. 1 Cor. XV 37. Eph. VI 5. Phil. III 15. Tit. I 12. qu. 1. 12. 60. 116. 123. 127; *minorare* 1 Cor. XV 9. qu. 106. 116. 122; *color* vel *colorare* i. e. errorem velare Phil. II 10. Tit. I 14. qu. 84. 109; *retractare* i. e. in iudicium vocare Rom. VIII 33. IX 14. 1 Cor. III 21. Eph. I 9. qu. 18. 79. 109. *Ut puta* pro *exempli causa* scribitur Rom. VIII 3. qu. 14. 59. 69. 106. 107. 115. *Tradux* saepissime pro *traditionis* vocabulo Rom. V 14. 1 Tim. I 3. 2 Tim. I. 1 IV 5. qu. 3. 4. 23. 56. 81. 83. 85. 106. 108. 110. 112. 114. 123. 64 N. *Qualiscunque* denotat *parvus* vel *infimi ordinis* 1 Cor. VI 4. 2 Thess. I 1. qu. 5. 13. 101. Saepissime scriptor disserere incipit *manifestum est* locutione: Rom. IV 18. XI 16. XIII 2. 1 Cor. I 26. VI 6. Eph. IV 20 cet. qu. 44. 75. 82. 94. 96. 97. 102. 103. 106. 110. 112. 115. 48 V. 28 N. 80 N. *Pars diversa* vel *adversa* simili sensu ponitur Phil. II 25. 2 Tim. IV 19. qu. 46. Adversarios Deum vel s. scripturam *calumniari* vel *accusare* dicit Tit. I 15. qu. 97. 125. Adversarios scriptor loquentes inducit *dicitur* vel *respondetur e contra, aiunt e contra, potest opponi e diverso* vel similibus verbis Rom. II 25. V 20. Gal. I 10. II 4. III 12 qu. 1. 3. 14. 31. 44. 81. 83. 91. 102. 114. 115. 126. 127. 79 N. Aliorum interpretationes in medium profert, plerumque refutandas, verbis usus: *quidam aliter interpretantur* vel

quibusdam videtur cet.: Rom. I 26. IV 7. V 18. VII 18. VIII 38. 1 Cor. I 11. V 7. VI 12. 18. 2 Cor. XII 2. Phil. II 5. 10. qu. 14. 41. 45. 46. 56. 59. 64. 66. 81. 98. 106. 125. 37 V. Saepissime ante dicta commemorat verbis: *sicut dictum est, supra memoravimus, supra ostensum est* vel similibus: Rom. I 18. 23. II 1. V 13 sq. 20. VI 13. VII 8 sq. 19. VIII 28. IX 7. 11. 21. 32. X 14. XI 11. 28. XII 21. XIV 1. 23. XVI 17. 1 Cor. I 1. 17. III 18. IX 15. X 6. 23. XII 3. XIII 2. 13. XIV 34. 36. 40. XV 37. 2 Cor. II 5. 11. VII 12. VIII 1. XI 11. XII 6. 14. Gal. I 11. II 1. III 22. V 22. Eph. II 7. 15. Phil. II 10. 25. 1 Thess. II 1. IV 1. 12. V 18. 2 Thess. II 5. 8. 2 Tim. II 20. qu. 1. 2. 3. 6. 16. 20. 37. 44. 56. 61. 64. 68. 69. 72. 73. 74. 82. 95. 97. 98. 102. 104. 105. 106. 107. 110. 111. 112. 114. 116. 127. 2 N. 49 N. 58 N. 60 N. 68 N. 73 N. 77 N. 90 N. Interdum adnotat, locum *indigere* aut *non indigere explanatione:* Rom. XV 13. Phil. I 12. II 19. 1 Thess. II 10. 12. 2 Tim. II 24. qu. 89. 91. Scriptorem *compendii* vocabulo saepius uti iam vidimus. Ita 1 Cor. VII 2 quoque legitur: *Solent qui compendium quaerunt errare*; qu. 49 N.: *Frequenter qui compendium quaerit solet errare*; cf. etiam Rom. IX 16. Tit. III 15. qu. 16. 95. Deinde 1 Cor. V 9 legitur: *compendium est male agentibus si citius moriantur quam si diutius in peccatis versentur;* 1 Cor. VII 35: *quo compendio* (i. e. virginitate) *citius itur ad Deum.* Tum *compendium* opponitur legis mosaicae ambagibus Rom. prol. IV 16. 1 Tim. I 13. qu. 75 N. Eadem sententia Gal. prol. exprimitur: *sola fides sufficit abbreviata ex lege,* sicut qu. 44 N. T. vocatur *breviatum legis verbum* et *abbreviatio legis.* Persaepe scriptor de *lege naturali* agit et legem mosaicam ad eam literis exprimendam latam esse docet: Rom. I 11. 18. III 20. V 13. 20. VII 23. XI 33. XIII 8. 1 Cor. VI 12. VII 40. 1 Tim. I 8. qu. 1. 4. 5. 44. 69. 75 N. Legem mosaicam *legem factorum* nominat Rom. III 20 IV 4. 15. VII 2. XI 25. Gal. prol. I 6. III 4. 19. V 16. Eph. II 14. 1 Tim. I 5. 8. Tit. I 16. qu. 68 N. 75 N. Eam ex decretis *de sabbato, neomeniis, circumcisione, escis, ceremoniis* constare dicit Rom. I 9. II 14. III 20 sq. 28. IV 15. VII 24. IX 28. 31 sq. 1 Cor. XIV 21. Gal. prol. I 21. III 20. IV 3. 11. Eph. II 14 sq. III 5. Col. II 16. IV 10. 1 Tim. I 5. qu. 44. 69. 82. 51 V. 19 N. 57 N. 75 N. Religionem christianam *novam legem, legem Christi* vel *divinam* vocat Rom. I 1. 6. VII 6 sq. 24. VIII 1. 12. 15. XII 1. XVI 1. XIII 8. 1 Cor. VI 9. VII 15. 29. IX 24. XI 26. XII 1. 3. XIV 1. 3. 35. 39. 2 Cor. III 3. 5. 7. Gal. I 21. Col. III 8. qu. 44. 69. 91. 95. 100. 102. 109. 114. 127. 22 N. 57 N. 75 N.; itemque s. scripturam *legem* vocat 1 Cor. XV 36. qu. 97. Leges civiles *leges mundo creditas* vocat 1 Cor. IV 3. VI 1. qu. 104. Iudaeos dicit *maiores* christianorum Rom. I 1. qu. 102. 114; omnes christianos *filios Abrahae* Rom. II 25 sq. IV 12. 1 Cor. VII 18. Gal. III 7. 29 qu. 44. 117; denique Rom. IX 17 *nos nunc Iudaeos propter Iudam, ex quo Christus sit secundum carnem.* Deum vocat *inspectorem cordis* Rom. IX 16. qu. 79. 126; Paulum apostolum *vas electionis* 1 Cor. II 10. X 24. 2 Cor. X 7. Eph. II 3. III 8 sq. V 17. qu. 2. 91. 106. 113. 115. 20 N. Imperatores Romanos saepe *reges* nominat et cum eis *tribunos, comites* coniungit Rom. I 22. IX 17. XIII 3. Col. IV 5. qu. 45. 66. 91. 92. 110. 114. 124. Adversarios *lumen tenebras vocare* arguit Rom. X 16; *tenebras diem dicere* 2 Thess. II 11; *sole apparente super terram dicere*: *quia nox est* qu. 46. De cruce tanquam *signo Christi* baptizatis impresso agit 1 Cor. I 19. 2 Cor. V 22. Col. IV 15. 1 Thess. IV 12. 1 Tim. II 6. 2 Tim. II 19. qu. 44. 47. 74. 64 N. Scriptori *semen* vel *seminare* vocabulis uti admodum placet praecipue ad virtutum initia significanda quae naturae hominis inserta sint Rom. I 9. 32. V 20. VIII 4. 35

sq. X 8. 1 Cor. III 1. XI 20. 2 Cor. XI 9. Gal. I 17. qu. 113. 115. Iram *motum conceptum ex causis* dicit Eph. IV 26; voluntatem *accidens naturae*, *conceptam ex causis* qu. 1. 98. *Pompae saeculi* invenitur Rom. VIII 17, sicut *pompae satanae* Col. II 11. qu. 115. Ecclesiam *domum Dei* vel *Christi* nominat Rom. III 31. IX 25. 1 Cor. XII 11. 1 Tim. III 7. 14. 2 Tim. II 20. qu. 52; remissionem peccatorum *fructum poenitentiae* Rom. II 4. qu. 102; aeternam poenam *secundam mortem* Rom. I 1. IV 23. V 12. 14. 16. VI 12. 20. 23. VII 4 sq. 13. 24. VIII 1. 11. XII 1. 2 Cor. II 6. V 15. Gal. II 21. Col. I 20. III 7. qu. 34. 47. 74. 115. 64 N.

Multas quoque sententias duo opera communes habent. De ratione quae inter res et significationes intercedat agitur 1 Cor. II 4. qu. 2. 100. 114. Promptiorem hominem esse ad rem aliquam perficiendam, si multos habeat secum consentientes scriptor dicit Rom. I 13. 16. XI 8. 1 Cor. I 27. VII 17. Gal. I 2. qu. 114. Deum omnia intra se continere Eph. III 18. qu. 1. 107. Filium a Patre, Spiritum sanctum a Filio non esse degenerem Eph. VI 21. 1 Thess. III 10. qu. 93. 97. 122. 125. Unam esse Patris et Filii imaginem et formam 2 Cor. V 19. Col. I 4. qu. 97. 109. 122. Elementis mundum non gubernari Col. II 8. 23. qu. 115. Diabolum Dei auctoritatem usurpare 2 Cor. VI 15. qu. 2. 27. 98. 111. Eum hominibus malas cogitationes suggerere VII 14. 18. 24. VIII 1. 13. 15. XII 19. 1 Cor. V 3. 2 Cor. X 5. XII 8. qu. 112. 115. Homines tanquam Dei et diaboli filii distinguuntur atque sicut de lege divina, ita et de *lege diaboli* vel *peccati* sermo est: Rom. I 29. V 14. VIII 14. 1 Cor. VI 18. Gal. V 17. 1 Tim. V 14. 2 Tim. II 8. qu. 80. 81. 110. 111. 25 N. Daemones *satellites satanae* vocantur Rom. VII 14. Eph. VI 11. 1 Thess. V 1. qu. 2. 111. 113. Virum, non feminam imaginem Dei esse, quod sicut unus Deus rerum omnium fons et origo, ita unus homo totius generis humani auctor sit, et quod similis inter virum et feminam atque inter Patrem et Filium ratio intercedat 1 Cor. VI 2. XI 3. 5. 8. XIV 34. Eph. V 22. 31. Col. III 8. 18. 1 Tim. II 11 sq. qu. 2. 21. 24. 45. 97. 106. Malum non ex natura vel substantia, sed ex arbitrio oriri Rom. VII 18. 1 Tim. IV 1. 2 Tim. I 21. Tit. I 15. qu. 1. 2. 9. 42. 90. 98. 115. 40 V. Adam morti subiectum fuisse, quod de arbore vitae edere non iam potuerit Rom. V 12. qu. 19. Animam humanam non generari Rom. VII 22. qu. 23. Gentilium deos daemones fuisse Rom. V 14. 1 Cor. X 31. qu. 35. 81. 84. 114. 115. *Iudaeos sub elementis*, *gentiles elementis serviisse* Col. II 18 qu. 82. De Iudaeorum et gentilium cultu Gal. IV 3. qu. 82. Gentiles sacra turpia in tenebris celebrare Eph. V 8. qu. 114. Hebraeorum nomen ab Abraham derivandum esse Phil. III 5. qu. 44. 108. De decalogi tabulis pari modo agitur Eph. VI 3. qu. 7. 19 N. De manna et Christo tanquam petra 1 Cor. X 3. qu. 20. 95. De Saul et David Rom. IX 16. 1 Cor. X 14. qu. 18. 35. *Pascha* vocabulum immolationem, non transitum denotare 1 Cor. V 7. qu. 96. Ante Christum natum reges unctos et *christos* vocatos esse Rom. III 31. qu. 49. 114. Fidem christianam a paganis *stultam* haberi, eos vero ipsos, qui sibi sapientes videantur, stultitiae argui nec suae religionis antiquitate posse praemuniri Rom. I 8. V 5. VIII 6 sq. X 11. 1 Cor. I 17. 20. 26 sq. II 1. 4. 7. 13. III 18. IV 10. XV 12. Eph. V 6. 1 Thess. I 9. IV 12. qu. 3. 84. 100. 110. 114. 53 N. Paganos miraculis non gaudere 1 Cor. I 28. qu. 93. 100. 114. Miracula modo primo religionis christianae ortu propter infideles facta esse 1 Cor. XII 31. XIII 1. Gal. III 2. Eph. IV 11. Phil. II 25. 2 Tim. IV 19. qu. 93. 83 N. Christum de *sacris* vel *coelorum sedibus* in terram descendisse 2 Cor. V 19. qu. 2. 31. 53. 113. Patrem videri non posse nisi in Filio Col. I 14. 1 Tim. VI 13.

qu. 71. 109. 122. 32 N. Christum Patris *imaginem*, *vicarium*, *legatum* esse 1 Cor. V 19. 2 Cor. V 21. qu. 109. Eum *plenum* vel *perfectum* vel *totum Deum* esse Eph. IV 13. Col. I 19. II 8. qu. 122. 125. 39 N. Eum *angelum Domini* esse Rom. II 22. VIII 38. X 13. Col. I 11. 1 Thess. IV 14. qu. 42. 76. *Carnem Christi in utero virginis sanctificatam esse* Rom. VIII 3. qu. 49. Per Christum factam esse redemptionem, quia per ipsum omnia creata sint Col. I 18. qu. 113. De Christo mediatore Gal. III 20. qu. 80 N. Quomodo Christus *peccatum* factus sit Gal. III 13. qu. 74. De Christo induendo 2 Cor. V 3. qu. 47. Aliud baptismum ante, aliud post Christum passum effecisse Rom. IV 23. qu. 18 N. Omnem *creaturam spiritualem* corpus Christi efficere Eph. V 30. Col. I 23. II 1. 8. 1 Thess. IV 14. qu. 47. Spiritum sanctum pro hominibus intercedere Rom. VIII 26 sq. qu. 125. Homines *Spiritus sancti inhabitatione filios Dei fieri* Rom. VIII 8. 10. 1 Cor. VI 11. 2 Cor. IV 1. Gal. IV 6 sq. 1 Tim. I 18. qu. 54. 93. 123. 125. 42 V. 11 N. 18 N. 61 N. Quare eos *deos adoptivos* vel *Dei filios adoptivos* esse Rom. IV 23. 1 Cor. III 4. 2 Cor. IV 1. V 3. 5. Gal. IV 6 sq. Eph. III 20. V 20. 1 Thess. I 2. III 12. IV 2. 9. 2 Thess. II 15. 1 Tim. I 18. qu. 41. 123. 125. 64 N. Nec vero Christum *Deum adoptivum* vel *Filium Dei adoptivum* esse Eph. I 20. Phil. II 10. qu. 97. Filium Patri regnum traditurum esse 1 Cor. XV 27. qu. 78 N. De diabolo ut antichristo 2 Thess. II 1. qu. 113. De *superiore Ierusalem* Rom. X 15. 1 Cor. VI 2. 2. Cor. XII 3. Gal. IV 26. qu. 40. De prima et secunda resurrectione agitur Col. III 1 qu. 95. Ecclesiam Romanam primo, nomine tantum christianam, fidem iudaicam amplexam esse Rom. prol. I 8. 11 sqq. 16. XIV 1. 23. XV 22. XVI 17. qu. 75 N. Inter apostolos Ioannem quidem matrimonium nunquam iniisse, tamen autem Petrum primatum obtinuisse 2 Cor. XI 2. qu. 127. Quare Paulus apostolus Timotheum circumciderit Rom. XII 10. XVI 21. 1 Cor. IX 20. 2 Cor. XII 26. Gal. II 4. 12. 1 Tim. prol. qu. 60. 48 N. 60 N. Quomodo Petrus apostolus a Paulo reprehensus sit Gal. II 14. qu. 60 N. Christum apostolos episcopos instituisse sicut multis Ambrosiastri locis iam laudatis etiam qu. 97. 60 N. legimus. Initio nondum omnes ecclesias *rectores* habuisse Rom. XVI 22. 1 Cor. I 2. VI 5. XI 20. Eph. IV 11. qu. 102. 61 N. Episcopatu omnes ordines ecclesiasticos comprehendi 1 Cor. I 17. XII 28. Eph. IV 11. qu. 101. Initio episcopos eosdem fuisse ac presbyteros Eph. IV 11. Phil. I 1. 1 Tim. III 8. IV 13. 2 Tim. I 9. qu. 101. Sacerdotem Christi imaginem, vicarium vel legatum esse 1 Cor. XIV 34. 1 Tim. V 19. 2 Tim I 9. qu. 35. 36. 127. Diaconos sacerdotum ministros esse 1 Tim. III 8. qu. 101. 127. Virum ecclesiasticum a negotiis saecularibus abstinere debere 2 Tim. II 3. qu. 127. Sacerdotibus non licere uxoribus uti 1 Tim. III 12. qu. 127. Caiphae exemplo dignitatem sacerdotalem probari 1 Cor. XII 28. XIII 2 qu. 11. 101. Deum solum sacrorum celebrationi effectum tribuere 1 Cor. III 6. qu. 109. Officii ecclesiastici potestatem a christianorum virtutibus non dependere 2 Cor. XII 3 sqq. qu. 46. Eam ab alienis usurpari non licere 2 Tim. II 19. qu. 46. 101. 110. De tentatione divina et humana 1 Cor. X 13. qu. 99. De *venia peccatorum* et *corona* quam homo operibus adipiscatur Rom. V 6. Eph. I 13. qu. 13. Omnem actionem ceterum licitam peccatum fieri si aliter fiat ac lex postulet, sicut locis ex Ambrosiastro laudatis qu. 1 exponitur. De diversitate peccatorum simili modo agitur Rom. IV 7. V 14. qu. 1. De *vasis* diversis secundum apostoli dictum 2 Tim. II 20. qu. 102. De *lege membrorum* et *diaboli suggestionibus* Rom. VII 23. qu. 112. 115. De fornicationis peccato 1 Cor. V 3. VI 18. Eph. V 25. qu. 58 N. De homine *satanae tradendo* 1 Cor. V 3. qu.

61 N. De Manichaeorum vita scelesta 1 Cor. VII 1. 2. 2 Tim. III 6. qu. 72. 127. Ieiunare esu et potu necessario contentum esse definitur 1 Cor. IX 26. qu. 120. Christianos diebus *festis* vel *processionis* a mulieribus abstinere 1 Cor. VII 5. qu. 127. De Amazonum et mulierum veterum Romanorum disciplina Col. III 8. qu. 115. *Regem Dei imaginem habere* Rom. XIII 3. qu. 35. 106. Contra astrologos disputatur Rom. VIII 7. 1 Cor. I 20. 26. II 13. III 22. XV 39. Col. prol. II 1. 8. 18. qu. 63. 84. 100. 115; contra philosophos Col. II 4. 8. 13. qu. 28. 97. 100. 115. Praeterea quae Phil. II 25 inveniuntur qu. 82 N. repetuntur, et Gal. IV 12 simili modo qu. 51 N retractatur.

Accedit quod praecipua doctrinae christianae capita pari in utroque opere ratione tractantur. De Trinitate scriptor ita disserit, ut, Spiritu quidem sancto non plane neglecto, praesertim Filium eiusdem cum Patre substantiae esse exponat. Spiritum sanctum quoque divinum esse docet Rom. VIII 27. XI 36. 1 Cor. III 17. VI 19. 2 Cor. V 4. Eph. III 17. qu. 40. 97. 122, tota qu. 125. 2 N. 12 N. 67 N. Plenam trium personarum aequalitatem toties tamque expresse explicat, ut eum in Arianismi suspicionem incurrisse[1]) iure mireris. Quae suspicio inde exorta est, quod compluries Filium Patri tanquam auctori postponendum esse dicit. Nec vero haec sententia a ceteris illis de Trinitate placitis abhorret. Immo cum eis coniungitur, ut Rom. VIII 34: *sic loquitur scriptura, ut et Filium non disparem tradat, et Patrem, quia Pater est et quia ab ipso sunt omnia, praeferat;* et 1 Cor. I 3: *docet quidem Christum rite invocandum, sed omnem gratiam esse Patris, ut et duos qui unum sunt per divinitatem ostenderet et Patris auctoritatem praeferret*; 1 Cor. XV 27 autem: *tunc et Christus propter unicam auctoritatem Patris Deum quidem se ostendet, sed de Deo, ut unius principii sublimis et ineffabilis auctoritas maneat. Hoc est subiicere se Filium Patri, hoc est Deum esse omnia in omnibus; quia cum discit omnis creatura, caput suum esse Christum, Christi autem caput Deum Patrem, omnia in omnibus est Deus Pater.* Pariter 2 Cor. V 18 sq., ubi Filii cum Patre aequalitas exponitur, de Patre: *ab ipso*, inquit, *est omnis paternitas ideoque necesse est praeferri personam Patris.* Idem docetur qu. 122: *Nihil plane differt in substantia, quia verus Filius est; differt autem in causalitatis gradu, quia omnis potentia a Patre in Filio est, et in substantia minor non est Filius, auctoritate tamen maior est Pater, . . . ut primus gradus sit ex quo sunt omnia, secundus per quem omnia, tertius in quo omnia. Et quia nullus ex his degener est, in unitate Dei significati sunt.* Rursus de Spiritu sancto qu. 109: *Quoniam omni modo unius Dei auctoritas conservanda est, idcirco et tertia persona subiicitur paterno nomini . . Quamvis unius sit substantiae Christus et Spiritus sanctus, uniuscuiusque tamen ordo observandus est . . Christus et Spiritus sanctus naturaliter habentes Dei imaginem sacerdotes eius dicuntur. In ipsis videtur Deus rel.* Et qu. 125: *Tertio ordine est (Spiritus sanctus), non natura; gradu non divinitate; persona, non ignorantia. Sicut Filius Dei secundus a Patre est et divinitate minor non est, ita et Spiritus sanctus sequens a Filio est, non impar sed aequalis divinitate substantiae.* Denique qu. 2 N.: *Caput Filii Pater est, et caput Spiritus sancti Filius quia de ipso accepit: et sicut Pater misit Filium, ita et Filius misit Spiritum sanctum . . Quo cognito palam fecit esse etiam Spiritum sanctum qui tertius sit*

---

1) Ita apud Augustini editores Lovanienses, contra quos cf. R. Simon Hist. des comment. p. 144.

a Patre, secundus autem a Christo secundum numeri ordinationem, iuxta substantiam autem non esse et non differre alterum ab altero. Ita ortu quidem personas divinas quodam modo inter se impares esse antiquae ecclesiae doctores, ne Athanasio quidem excepto, cuncti concesserunt. Neque igitur Ambrosiaster neque quaestionum scriptor ulla ratione doctrinam Arianam amplexus est.

Neque Tillemontio assentiri possumus, qui qu. 48 scriptorem Marcelli Ancyrani doctrinam approbare putat[1]). Cum enim Marcellus Verbi generationem negaret et solum incarnatum Verbum Filium Dei nominaret, distinguens *λόγον ἐνδιάθετον* et *προφορικόν*, ille docet: *Cum ea quae non erant Deus voluisset existere et maiestatis suae minime hoc condignum opus sciret, prius de se cum sit natura simplex et incorporeus Filium generavit qui nihil ab eo distaret, ut magnitudini suae congruus responderet effectus. Quid enim ultra posset facere quam ut ex se alterum qui perfectus est generaret.* Postea verba sequuntur, quae nihil nisi alia etiamsi satis obscura eiusdem sententiae explicatio ab alio quovis inserta habenda sunt: *Est et aliud: Deus enim, ex quo sunt omnia, volens condere creaturam, Verbum prius quod in mysterio apud se habebat generavit, h. e. fecit existere. Quod Verbum idcirco Filium nuncupavit ut ostenderet de se illum extitisse et esse sibi consubstantivum.* Ne hac quidem explicatione Marcelli doctrina cernitur, sed potius Hippolyti, celeberrimi illius presbyteri Romani. Verumtamen sententia: *Verbum quod in mysterio apud se habebat generavit* aliter intelligenda videtur ac nota Hippolyti illius doctrina. Non tempore, sed sola notione inter *Verbum apud Deum in mysterio habitum* et *Filium generatum* distinguit, ita ut Verbum sive Filium, quamquam intra Dei substantiam habitum, simul ex ea generatum esse doceat. Quare nos quidem scriptorem verbis quidem similibus, diversis tamen sententiis usum antiquam Tertulliani et Hippolyti doctrinam ad fidei communiter traditae normam corrigere voluisse suspicamur. Ad comparandas sententias locum Tertulliani (adv. Prax. c. 6) hic proferre placet, illi alia ex parte tam similem et ex alia tam dissimilem, ut eum scriptori illi ante oculos versatum esse fortasse statuas: *Nam ut primum Deus voluit ea, quae cum sophiae ratione et sermone disposuerat intra se, in substantias et species suas edere, ipsum primum protulit sermonem habentem in se individuas suas, rationem et sophiam, ut per ipsum fierent universa, per quem erant cogitata atque disposita immo et facta iam quantum in Dei sensu.* Quomodo quaestionum scriptor de Verbi generatione cogitaverit ex qu. 97 apparet: *Natus de Deo non esse coepit sed semper extitit. Nativitas enim nihil est aliud quam exitio: exitio autem manifestatio est. Itaque non factus sed editus est. Ut enim Christus de essentia Dei exiisse vel processisse significaretur, exitio eius nativitas appellata est, ut, quia non dispar est a genitore nativitas, consubstantivus esse Deo Christus non ambigeretur . . . qui ut apud Deum semper fuisse significaretur de Deo legitur processisse. Nemo enim de Deo processit ubi non fuit.* Et quid de ratione senserit, quae inter Filii generationem et creationem mundi intercedat, qu. 122 prodit: *Ad hoc natus dicitur, ut omnia possit facere quae facit Pater, quia sic habet vitam in se sicut habet et Pater. Hoc enim est: omnia per ipsum et in ipso fecisse, sic eum genuisse, ut haberet in se vitam per quam omnia possit facere.*

Consentit vero cum quaestionibus recte explicatis Ambrosiaster, qui Col. I 16 eandem

1) Mémoires VII 3, 1405.

ac qu. 48 de Filii generatione sententiam profert. Postquam enim Filium a Patre *in divinitate naturae nihil distare* tradidit, exponere pergit: *Ideo quae ab ipso facta sunt per ipsum facta dicuntur ut faceret creaturam; hoc est: fecisse in eo et per eum. Nec enim sibi nativitas sua proficit sed nobis, quia non eguit nasci qui in his erat. Quomodo fit unicus Dei Patris Filius, quomodo ipse novit quae ingenita sunt Dei Patris? Erat enim in Deo qui processit de Deo, ita ut unus esset Deus: ac sic fit ut neque diminutio sit Patris neque profectus Filii dum nascitur.* Similiter etsi brevissime Eph. I 22: *Tunc illi omnia subiecit quando illum ante omnia genuit, ut per ipsum faceret quae non erant.*

Aliis quoque de Trinitate capitibus duo opera inter se concordant. Ita utrumque tres personas semper simul operari tradit 1 Cor. XII 6. 11. 2 Cor. I 21. VI 17. qu. 52. 97. 12 N. 18 N. Nullo deinde loco *Filioque* invenitur. Immo Eph. III 17 *ex Deo procedere* et *de Filio accipere* subtiliter distinguuntur: in quaestionibus autem tres personae semper ita disponuntur, ut a praecedente sequens, Spiritus sanctus igitur a Patre per Filium quasi quodam modo dependeat. Sic qu. 2 N: *Caput Filii Pater est, et caput Spiritus sancti Filius, quia de ipso accepit.* Item qu. 122: *Exemplum Pater, Filius vero exemplum de exemplo, quod communicat Spiritui sancto: quia de me, inquit, accipiet.* Quae qu. 125 leguntur iam supra allata sunt, ubi hanc quaestionem Augustino antiquiorem esse ostendimus. Trinitatem *perfectionem* repraesentare exponitur 2 Cor. I 21. XIII 11. qu. 87. 42 V. 2 N.

De incarnatione doctrina in utroque opere ita traditur, ut Christus Deus et homo esse simpliciter doceatur, subtilioribus de hoc argumento quaestionibus, quales praecipue circa a. 430 exortae sunt, neglectis. Conferantur Rom. I 1. 1 Cor. I 13. Gal. I 1 Phil. II 5. 10. 2 Tim. IV 19. qu. 44 N, praecipue 1 Tim. II 5, ubi homo in Deo et Deus in homine fuisse traditur.

Ambrosiastrum non semipelagianum esse, sed certe ante Augustinum scripsisse iam supra diximus. Eodem modo quaestionum quoque scriptorem de Pelagianismo defendendum esse arbitramur [1]). Non Pelagianorum placita comprobans, sed Manichaeorum improbans liberum arbitrium statuit. De peccato originali sicut Rom. V 12. 15. 16. VII 14. 18. 22. 24. VIII 3 sq. 2 Cor. XIII 4. Eph. IV 8. Col. I 11. 14. 18. II 13 rel., ita etiam qu. 19. 47. 112. 123. 64 N agitur. Quod vero compluribus locis ut qu. 13 peccatum originale negari videtur, respiciendum est, ipsa hac quaestione eandem de bonitate naturali doctrinam proferri ac Rom. V 6, cuius loci scriptorem nemo originale peccatum negasse arguet, et qu. 115 dici: *ex voluntate enim quis iudicatur, non ex natura*, quamvis rursus ipso hoc loco peccatum originale esse confirmetur. Neque aliter atque Ambrosiastrum quaestionum scriptorem semipelagianum esse iudicamus: ita igitur, ut cum doctoribus qui ante Augustinum scripserunt consentiat. Locis ex Ambrosiastro supra laudatis addimus qu. 79: *Cordis inspector providet postulantis mentem an mereatur accipere*; qu. 115, ubi contra eos disputatur, qui fatum esse docebant: *Si potestatis nostrae non essemus, quomodo diceret Dominus: „petite et dabitur vobis"? . . in voluntate utique posuit meritum*; et

---

1) Pelagianum eum fuisse cum editoribus Augustini Lovaniensibus, aliis Oudin Script. eccl. I 485 contendit. Bellarminus de script. eccl. p. 82 quoque eum peccatum originale negare dicit etiamque ex aliis causis eum *haereticum* nominat.

ibidem: *Omnia sic Deus instituit, ut secundum uniuscuiusque fidem eveniat, ut arbitrium liberum maneat voluntatis.*

De redemptione quoque generis humani eadem in utroque opere doctrina profertur: Christum cum Patre consentientem se a diabolo innocentem necari permisisse, eo vero scelere hunc totum genus humanum, peccato in servitutem redactum, amisisse. Ita diabolum a Christo delusum esse scriptor dicit eamque vel similem ob causam qu. 95. 17 N de diaboli *hebetudine* loquitur. Illa doctrina traditur Rom. III 4. VII 4. VIII 3. XIV 9. 1 Cor. I 31. V 22. XV 57. Gal. I 4. III 13. Eph. V 2. Col. II 13. 1 Tim. II 6. qu. 83. 89. 95. 116. 34 N.

Utriusque operis scriptor ab exspectatione quam vocant chiliasticam nondum descierat. Per annos mille Salvatorem *hic regnaturum esse* docet 1 Cor. XV 52. Idem videtur attingere qu. 96: *Quod septimo die requievit ab operibus suis hoc significat, quia impleto sexto millenario requiescet, cessante iam mundo ab omni opere saeculari.* Cum qua exspectatione illa opinio cohaeret, mortuorum animas usque ad resurrectionem medio quodam statu versari. Legimus enim 2 Cor. V 8, eas usque ad resurrectionem *requiescere sub altare Dei.*

Etiam daemonum restitutionem, quam apocatastasin appellant, utriusque operis scriptor tradit: 1 Cor. II 10. Eph. I 9. III 10. qu. 47. 89. 111. 113.

Item in utroque opere Graeci impugnantur: Rom. V 14. XII 10. Gal. II 1. qu. 96.

Deinde in rebus iuridicis versari se consuetum esse utriusque operis scriptor multis indiciis prodit. Rom. I 29. VII 1. Gal. II 1. Eph. II 19. 2 Tim. III 6. IV 13. qu. 75 N de legibus Romanis agit; 2 Cor. XII 11 de praescriptione; Rom. III 24. Eph. I 7. Col. I 14 de manumissione; Rom. III 13. VII 14. 20. XIII 13. XV 20. Gal. I 6. Eph. IV 20. Col. IV 1. 2 Tim. II 22 de mancipatione; Rom. VII 1 Cor. XIV 34 de lege generali et speciali; Rom. XIII 1. 1 Cor. XV 34 de iure divino et humano; Gal. III 15 sq. IV 1 de iure hereditario. 1 Cor. VI 4. qu. 95 *ius evangelicum,* IX 12 *regulae christianae ius,* IX 15 *evangelii iura,* qu. 93. 102 *ius ecclesiasticum* dicit. 1 Cor. VII 29 *actorum diem* memorat. Saepe locutionibus utitur, quae in causis iudicialibus consuetae erant, ut *contradictor* Rom. X 15. Eph. V 15. 2 Tim. IV 14. qu. 96; *praeiudicare* Rom. IX 5. 1 Tim. V 21. qu. 61. 84. 97. 114. 122. 125. 22 N.; *delegare* 2 Cor. VI 5. qu. 97. 109; *praerogativa* Rom. XV 17. 1 Tim. V 9. Tit. III 9. qu. 13. 95. 100. 101. 117. 124. 126. 38 V.; *fiscalia* Rom. XIII 6.; *vindicta competens* et *incompetens* Rom XII 19. Dei consilia vel instituta *decreta* nominat Rom. XI 33. XV 12. Eph. I 5. 15. qu. 35. 54. 91. 101. 102. 106. 110. 112. 114. 115. 118. 127. Saepe dicit: *ad iniuriam proficere* vel quid simile Rom. XIV 15. Eph. I 1. 1 Tim. IV 1. 2 Tim III 1. qu. 1. 25. 44. 97. 102. 115. 122; *sibi defendere* i. e. vindicare Gal. V 10. Phil. II 10. qu. 2. 102. 110; *contestationem deponere* 1 Tim. V 21; *subrepere* vel *subreptio* Eph. VI 18. Col. II 13. 1 Thess. IV 2. qu. 1. 111. 113. 115. Saepissime *causae* vocabulo utitur, ut *in causa Christi, Dei, hominis, fidei, peccati rel.* Rom. prol. III 5. 11. VII 13. IX 10. XII 19. 1 Cor. VII 15 (*maior causa Dei est quam matrimonii*). 2 Cor. II 6. 10. XII 14. Gal. III 13. IV 25. Eph. VI 18. Col. II 13. III 22. IV 13. qu. 2. 5. 13. 23. 36. 43. 49 (*causa hominis* pro *natura humana*) 61. 62. 73. 88. 89. 97. 101. 102 (*integra est causa credentis*). 106. 111. 112. 127. 41 N. 61 N. 78 N. 83 N. Saepius autem *causa* tam abundanter ponitur, ut nihil nisi rem ipsam significet, ut Rom. I 16 *in causa cladis* i. e. clade; V 6 *causa innocentiae* pro *innocentia;* qu. 79 *liberi arbitrii causa*; qu. 91 *virtutis et doctrinae causa*; qu. 95 *causa resurrectionis*; qu. 112

causa infirmitatis eadem ratione. Denique *causam alicuius agere* trita est locutio, ut qu. 102. 112. 114. 26 N. 70 N. Praeterea multa profert, quae iurisperito apta esse videantur. Ita Rom. VIII 3: *Solet dici de quocunque damnato: in qua causa damnatus est? Respondetur: ut puta in homicidio.* Rom. XIII 1 sq. qu. 4. 103. 124 de iniustitia et legum contemptione disputat, quae inter homines animadvertatur. Rom. XVI 24 qui sit *dispensator civitatis* sic explicat: *quasi curator qui dictante iustitia gubernabat civitatem maxime in pretiis moderandis.* 1 Cor. V 2. qu. 102 exponit, iudicis non esse sine accusatore damnare, sicut et Dominus Iudam, quamquam furem, quia non fuerit accusatus, non abiecerit: incesti autem crimen inter Corinthios publice notum fuisse. 1 Cor. VI 6: *Infideles aut arbitros, ut assolet fieri, postulatos significat, aut iudicem publicum, cui dici solet: hodie dies sacrorum est, ius dici non postet.* 1 Cor. VII 34: *Lege maritali constricta (uxor) sollicita est, quomodo impleat ius maritalis officii.* Gal. III 4 persecutionis tempore christianos *reos maiestatis* habitos esse dicit. Eph. prol. Paulum apostolum Romae *in custodia sub fideiussore degisse* dicit. Eph. I 20 Christum *adiri et postulari quasi iudex* adnotat. Qu. 15: *Lex*, inquit, *quia se ipsam mollire non potest, a nobis mitiganda est ut possit prodesse sub se agentibus.* Qu. 45 mulieris iura ita definit: *Constat dominio viri subiectam et nullam auctoritatem habere: nec docere enim potest nec testis esse neque fidem dicere neque iudicare: quanto magis non potest imperare?* Qu. 46 diaconos sacerdotum vices agere non posse ostendit hoc argumento: *Praefectus potest agere vicem praefecti et praetor praetoris, non tamen privatus potest agere vicem potestatis alicuius: quanto magis sacerdotis vicem agere non potest qui non est sacerdos?* Qu. 88 de Stephano scribit: *Sedente iudice Deo stans apparuit, quasi qui causam diceret . . omnis qui causam dicit stet necesse est.* Qu. 89 diabolum *in causa Salvatoris reum factum esse* ostendit. Qu. 97 dicit *in unius praefecti praetorio programmate etiam ceteri praefecti iubere dici propter auctoritatem unius potestatis.* Qu. 102 legimus: *Advocatorum more accipe antistites: numquid si malae vitae sit advocatus, contra susceptum eius pronunciabitur? Hoc est officium advocati, ut secundum iuris ordinem suscepti sui causam peroret: numquid poterit vita eius, si turpis est, obesse causae suscepti? Persona enim advocati nec obesse nec prodesse poterit; qualis enim fuerit causa sic et respondebitur ei. Sic sunt et qui volunt christiani fieri: accedunt ad antistitem, dicunt ei vota sua, ille facit verba iuris ecclesiastici. Si vera vota sunt, suscipiuntur a iudice: in quo ille aut obesse poterit aut prodesse? quippe cum nec causam suscepti sui norit. Deo enim iudici soli cognitum est quis qua mente accedat. Antistitis ergo est delegato sibi fungi officio, iudicis autem aut suscipere aut renuere causam suscepti.* Qu. 104 scribit: *Christianis iam factis occidere non licet. In misericordia enim positis lege iuris mundo crediti uti non licet aspere.* Qu. 114 pagani *literis forensibus instructi* unius domus unum solum dominum esse commonentur. Qu. 115 Romanorum et Iudaeorum leges matrimoniales inter se comparantur. Eadem qu. exponitur: *Certe iudicibus statutum est ne liceat in reum datam sententiam revocare: numquid et ipse imperator sub hac erit lege? Nam ipsi soli licet revocare sententiam et reum mortis absolvere et ipsi ignoscere.* Ibidem ex *quodam iuris libello* profertur, mulierem quandam quinque simul infantes peperisse. Cum passim tum qu. 116 de redemptione doctrina quasi causa iudicialis exponitur: *Victus homo suadente diabolo ut misericordiam acciperet, quasi accusator diabolus contradicebat. Unde id actum est, ut iste . . peccans deprehenderetur, ut tunc demum reus factus contradicere non auderet . . Cum enim ex Dei decreto propter peccatum hominem sibi vindicaret . . inventus est plus peccasse.* Qu. 127 ma-

trimonium contra Manichaeos ita defenditur: *Frustra accusatur qui a iudice laudatur: immo ipse sui accusator est qui reum dicit quem leges defendunt.* Qu. 73 N scriptor: *solemus*, inquit, *dicere: adiudicatus est.* Qu. 80 N de Galatis scribit: *Ius reconciliationis quod inter eos constituerat spernentes ad pristinum Iudaeorum sensum conversi sunt, accusantes tam se quam accusatorem.* Saepissime de *adoptione* loquitur deque iuribus quae inde oriuntur. Ceterum eum multum in legis notione versari et praecipue religionem legem appellare supra diximus. Praeter exempla iam prolata conferas etiam Rom. VII 18. XII 1. 16. XIII 1. 1 Cor. VIII 1 (*scientiae leges*). XII 1 (*unaquaeque lex* i. e. religio). 2 Cor. III 5. Col. II 16 (*superstitio aut lex*). qu. 102. 114. 115. Potissimum vero iurisconsultos religionem *legem* vocasse ex eorum scriptis vel collectionibus, ut ex codice Theodosiano notum est.

Utriusque operis scriptor interdum etiam rerum medicinalium mentionem facit, ut Rom. IX 17: *Antiqui medici in hominibus morte dignis vel mortis sententiam consecutis requirebant, quomodo prodessent vivis, quae in homine latebant apertis: ut his cognoscerent causas aegritudinis, et poena morientis proficeret ad salutem viventis.* Eph. I 13: *Laus gloriae Dei est cum multi acquiruntur ad fidem, sicut gloria medici est si multos curet.* Eph. IV 1: *Sicut peritus medicus obsecrat infirmos ut bene se agentes possint salutarem recipere valetudinem, ita rel.* 1 Tim. II 1: *Numquid medicus non idcirco proponit in publico, ut omnes se ostendat velle salvare, si tamen ab aegris requiratur?* Qu. 102. 112 poenitentiam cum medicina comparat. Qu. 104 Christum *non quasi carnalem utique medicum, sed quasi corporum conditorem* Malcho aurem restituisse dicit. Qu. 115: *Sicut corpus febricitans si accipit escam aut potum increscit illi calor, ita et huiusmodi corpora quae sanguinis fervore uruntur vehementius exardescent, nisi fuerint gubernata.* Ibidem: *mundus . . . imbecillem et aegrum facere potest, curare illum non potest.* Qu. 120: *Necessaria sunt nobis ieiunia sicut in vulneribus medicina.* Qu. 123: *Pedes indigent manibus: calceare enim se non possunt neque curare . . Cumque hi (burdones) perfecti sint, gubernare tamen se nesciunt nec adhibere sibi possunt medicinam.* Qu. 127 metaphorice de Manichaeo: *ut causae suae*, inquit, *aliquam conferat medicinam.*

Denique Ambrosiaster *quaestionis* vocabulum amat: quare ipsum etiam commentationes in quaestionum formam redegisse facile statuendum erit. Ita quem interpretatur locum Rom II 16 *quaestionem* vocat. 1 Cor. XIV 3 de *quaestionum solutione* in christianorum conventibus agit. Eph. V 2 *quaestionem* solvit: *quamquam Christi mors in odorem suavitatis sit Deo, tamen eos peccasse, qui eum crucifixerint*; et ea absoluta scribere pergit: *nunc quaerendum est quomodo illum Deus tradidit, aut quomodo se ipse obtulit Deo; nam hoc quantum ad verba pertinet videtur esse contrarium.* Qui locus optime in quaestionum opus transcribi potest. Etiam 1 Cor. V 13, ut in hoc opere fieri solet, locos quosdam qui contrarii videntur inter se concordare ostendit. Conferantur etiam Rom. IV 9. X 15. XIV 3. 21. 23. Gal. I 6. Phil. III 17. IV 23. 1 Thess. IV 12. 1 Tim. I 13. Alterius autem operis scriptori quaestionum forma uti tantopere placet, ut eam non solum in tractandis argumentis biblicis adhibeat, sed etiam commentationibus dogmaticis induat. Ita qu. 91 contra Photinianos commentatio inscribitur: *Quaerendum quomodo contradicendum sit argumentis Photini dicentis Christum ante Mariam non esse.* Itemque qu. 97 contra Arianos tractatus: *Qua ratione responderi possit Arii impietati simpliciter ex lege?* Ipso quoque *quaestionis* vocabulo uti solet qu. 9. 14. 20. 46. 52. 59. 66. 95. 97. 103. 122. 42 V. 74 N.

Etiam aliae in duobus operibus formae similitudines inveniuntur. Ita 2 Tim. II 1 scriptor, quasi in altero opere quaestionem proponat, quaerit: *Si Deus utique qui omnipotens dicitur omnes homines salvos vult fieri, non impletur eius voluntas? Sed in omni locutione sensus et conditio latet, unde dicit Petrus apostolus: omnis scriptura indiget interpretatione.* Cum quo dicto conferas qu. 26: *Multa subintelligi vult scriptura, ut collectus sensus ex verbis non sit rationi religionis adversus*; et qu. 71: *Ut verius propositae quaestionis secreta pandamus sensum evangelistae explicare nitamur.* Persaepe Ambrosiaster inter explicationem lectorem appellat *vide, videte* vel similibus verbis, ut Rom. XVI 11. 1 Cor. X 30. Gal. II 5 cet. Eandem disputandi rationem in quaestionibus invenimus: qu. 10 *vide si non apertum est rel.*; qu. 12 *si velis advertere, non incongruum videbis quod putas diversum esse a ratione*; eadem qu. et qu. 13 clauduntur: *iam vide* et *vide ergo* rel.; praeterea qu. 13 lector saepius appellatur: *confer, arbitrare, adde*; similiter qu. 9. 46. 80. 91. 95. 97. 104. 109. 115. 122. 127. 34 N. Saepe scriptor etiam in adversarium acriter invehitur, ut qu. 14: *Nihil iniuste Deum facere aut dicere qui dubitat insanus est. Itaque si verba Domini non supprimantur, sed omnia quae ad eandem quaestionem pertinent proponuntur, lucebit quod obscurum videtur . . Qui enim verba supprimit quaestionis, aut imperitus est aut tergiversator, qui calumniae magis studeat quam doctrinae.* Conferendae sunt praeterea qu. 65. 78. 79. 41 N. 58 N. 75 N. Interdum etiam benevola dialogi forma adhibetur, ut qu. 81 N: *Verba Salvatoris retractare infidelis est: sed te video non de verbis Salvatoris dubitare sed sensum requirere rel.* Utriusque igitur operis scriptor disputandi et quaestiones formandi rationem simplici interpretationi et expositioni praetulisse videtur.

Multis igitur diversisque argumentis duo ab uno scriptore composita esse opera probatur. Neque enim ex uno postea alterum descriptum putare fas est. Eiusmodi compilatio nusquam deprehenditur. Immo vero eadem verba et sententiae in utroque opere saepius diversa ratione adhibentur. Scriptorem saeculo IV. exeunte floruisse quum ex commentariis tum ex quaestionibus perspeximus.

Porro eum Romanum fuisse facile ostendi potest. Rom. prol. XVI 17 Romanorum prudentiam laudat. Gal. IV 10. qu. 114 Romanorum deos enumerat. Saepius, ut iam vidimus, de Romanorum legibus et institutis agit. Locis laudatis addimus Rom. I 14 sq. Eph. II 19. Tum non solum saepissime imperatores Romanos, sed etiam Col. II 16. qu. 46. 47. 81. 102. 107. 115. 127 senatores, consules, rectores provinciarum, praefectos, praefectorum vicarios, praetores commemorat. Atque adeo qu. 107 legimus: *Si de consulibus coniiciamus, videbimus illum primum nominari qui prior eligitur. Denique solet dici: cum illo quis erit consul?* Qu. 115 nonnulla narrantur, quae Romae evenerint, etiamque dicitur: *Hic enim in urbe Roma et finibus eius quae sacratissima appellatur.* Ibidem scriptor Cybelen quoque Romae cultam esse refert: *Persae mulierum more inaures habent, quod hic inhonestum et illicitum est: quia autem et hic fieri possit attestantur antistites matris quae appellatur magna, et revera magna fuit sed meretrix: sed in eo distat, quia isti cinaedi sunt, illi viri.* Rom. VI 20 autem cultus Cybeles reminiscitur scribens: *Confundimur eo quod dudum turpiter vixerimus: et non solum hoc, quia et sententia paganorum turpis et foeda est, maxime quae in Phrygia inventa est, in qua nisi spurcus intersit, sacramentum mutum est et torpescit religio.*

Accedit, quod inter haereticos illi potissimum impugnantur, qui Romae vel vixerunt vel

sibi conciliaverunt asseclas: Marcionitae, Montanistae, Novatiani, Manichaei, Donatistae, Sabelliani, Photiniani, Patriciani. Iam enim a primis inde temporibus omnes paene haeretici ipsa in Urbe, capite orbis, placita sua propagare, ac si quidem poterant, ecclesias constituere conati sunt. Ita Marcionem Romae sedem fixisse notum est. Montanistae, Manichaei, Donatistae ibi conventicula habuerunt. Novatiani inde exorti erant. Item Sabelliani, ut ex Hippolyti *Philosophumenis* novimus. Photiniani, Photini Sirmiensis per eumque Marcelli Ancyrani discipuli, Romae satis firme fundati fuisse videntur, quoniam Marcellus ibi paullo antea, repugnantibus quidem Orientis episcopis, a Iulio episcopo Romano rectam fidem praedicare iudicatus erat. Compluribus utique synodis Damasus episcopus Romanus Photini doctrinam condemnavit[1]. Patriciani denique, qui Manichaei erant, sola in Urbe extiterunt teste Philastrio (haer. LXII): *Patriciani a Patricio quodam qui fuit Romae dicti sunt.* Soli Ariani, quos scriptor passim refutare studet, extra Urbem maximeque in Oriente floruerunt. Sed per eos tota ecclesia, Romana haud excepta, adeo turbata atque quassata erat, ut illius temporis scriptorem contra eos potissimum multum disputare mirari non possimus. Porro ipsum Ambrosiastrum turbis illis per Arium excitatis se penitus miscuisse postea videbimus.

Deinde inter longiores quaestiones vel potius tractatus, quos contra Novatianos, Arianos, Photinianos, Iudaeos, paganos scripsit, ille quoque est, quo diaconorum Romanorum arrogantiam impugnat. Verba denique 1 Tim. III 14: *cuius hodie rector est Damasus*, etiamsi textui inserta sunt: id tamen haud ita multo post et quidem Romae factum esse brevi probabile apparebit. Primum igitur Romae commentarios illos lectos esse, inde quoque concludere licet.

At qu. 84 scribitur: *aequinoctium habent Romani sicut et nos.* Nonne, ut nonnulli putaverunt, hinc sequitur, illius quaestionis scriptorem non fuisse Romanum? Verumtamen illo loco de festis Romanorum et christianorum agitur, Romani igitur sunt homines antiquae religioni Romanae addicti, i. e. pagani Romae vel in regno Romano degentes. Ecce totam explicationem, aliis quoque rebus memorabilem: *Diabolus qui est satanas, ut fallaciae suae auctoritatem aliquam possit adhibere et mendacia sua commenticia veritate colorare, primo mense quo sacramenta dominica scit celebranda, quia non mediocris potentiae est, paganis quae observarent instituit mysteria, ut animas eorum duabus ex causis in errore detineret: ut quia praevenit veritatem fallacia melius quiddam fallacia videretur quasi antiquitate praeiudicans veritati; et quia in primo mense, in quo aequinoctium habent Romani sicut et nos, ea ipsa observatio ab his custoditur, ita ut etiam per sanguinem dicant expiationem fieri, sicut et nos per crucem. Hac versutia paganos detinet in errore, ut putent veritatem nostram imitationem potius videri quam veritatem, quasi per aemulationem superstitione quadam inventam.* Addimus qu. 55 locum, ubi Christum aequinoctio passum esse demonstratur, quod tunc *mundus initium ceperit. In regno*, inquit, *agens Romano nonnisi VIII Kal. Aprilis pati debuit, quando aequinoctium habent Romani. Tunc enim utique primum haec pars mundi illuminata est rel.*

---

1) Ambrosiastrum contra Photinum etiam tum vivum disputare, huius igitur mortem, quae a. 376 evenit, Romae nondum notam fuisse, Natali Alexandro (Hist. eccl. VII 258) et Tillemontio (Mémoires VII 3, 1403) non concedimus. Nam etiam Novatianum qu. 102 eadem ratione impugnat, quasi superstes fuerit, et alios quoque haereticos dudum iam mortuos tanquam vivos appellare solet.

Alius quidam extat locus qu. 101, quo multo facilius scriptorem non Romae vixisse nobis persuaderi possit. De *civitatis enim Romanae iactantia* locutus scribit de diaconis: *Quia Romanae ecclesiae ministri sunt, idcirco honorabiliores putantur quam apud ceteras ecclesias propter magnificentiam urbis Romae quae caput esse videtur omnium civitatum. Si itaque sic est, hoc debent et sacerdotibus suis vindicare.* Hic igitur de christianis Romanis loquitur, quasi ipse ex eorum numero non fuerit. Sed tota quaestione ecclesiae Romanae institutionem condicionemque tam cognitam se habere prodit ac tantum in rebus huius ecclesiae accurate describendis versatur, ut Romanus fuisse nullo modo negari possit. Quomodo autem factum sit, ut christianorum Romanorum communionem sibi alienam haberet, postea enucleabimus. Hic quidem sufficiat dicere, illo loco nos non prohiberi, quin scriptorem Romanum fuisse censeamus.

Quodsi scriptorem saeculi IV. exeuntis Romanum nos existimare opus est: Hilarium diaconum eum fuisse, non statim falsum videbitur. Nec vero eam coniecturam firmioribus argumentis probari posse supra ostendimus. Nunc quidem scriptorem non diaconum, sed episcopum vel presbyterum sese prodere addimus. Primum enim diaconus quidem Romanus non facile collegas tam infeste impugnasset, ut fit qu. 101. Tum qu. 120 ipse scriptor se denotat *Dei sacerdotem et praepositum plebis Christi*, cuius sit *exhortari populum sub cura sua positum in doctrina sana.* Quare id tantum quaeritur, utrum episcopus an presbyter fuerit. Eum presbyteratus et episcopatus ordinem unum eundemque habuisse supra vidimus: id quod illius temporis episcopus fecisse non facile putandus est[1]). Solum audiamus Hieronymum in Gal. IV 13 scribentem: *Quae quidem et nos ad humilitatem provocant et supercilium decutiunt episcoporum, qui velut in aliqua sublimi specula constituti vix dignantur videre mortales et alloqui conservos suos;* et in Tit. I 6: *qui de episcopatu intumescunt et putant se non dispensationem Christi sed imperium consecutos, quia non statim omnibus his meliores sint quicunque episcopi non fuerint ordinati.* Ut igitur Hieronymus, ita Ambrosiaster quoque non episcopus, sed presbyter fuisse videtur. Ipse etiam similiter atque ille de episcoporum superbia queritur 1 Tim. V 1: *Ecclesia seniores habuit, quorum sine consilio nihil agebatur in ecclesia. Quod qua negligentia obsoleverit nescio, nisi forte doctorum desidia aut magis superbia, dum soli volunt aliquid videri. Seniorum* et *doctorum* vocabula hoc loco pro *presbyterorum* et *episcoporum* titulis ponit, quod ipsa apostoli verba retinere voluit. Huc illud quoque pertinere videtur (1 Cor. XVI 19): *Duas ecclesias memorat, publicam et domesticam: publicam dicit quo omnes conveniunt, domesticam in qua per amicitiam colligitur. Ubicunque presbyteri solemnia celebrant ecclesia dicitur.* Episcopi hoc loco mentio fit nulla. Fortasse autem singularis etiam causa fuit, cur episcopo praetermisso *ubicunque presbyteri solemnia celebrent* ecclesiam esse scriptor confirmaverit. Ea quoque brevi apparebit. Quodsi igitur scriptor se ipse *sacerdotem Dei et praepositum plebis Christi* designat: non episcopatum intelligendum esse putamus. Nam cum 1 Tim. V 19 et qu. 101 etiam presbyteros *vicarios Christi et Dei antistites* nominet: se ipsum quoque, quamquam episcopatus dignitate non ornatum, *sacerdotem et praepositum plebis* appellare potuit.

---

1) Falso interdum Chrysostomus in Phil. c. 1, I 1 id fecisse dicitur. At is episcoporum, presbyterorum, diaconorum nomina quidem promiscue adhibita nec vero ordines ipsos unquam non distinctos fuisse concedit.

Quis vero inter presbyteros saeculi IV. exeuntis Romanos adeo literatus maximeque studiis biblicis imbutus erat, qui eiusmodi opera componeret? Neminem novimus nisi Faustinum, acerrimum illum doctissimumque fidei Nicaenae propugnatorem eundemque audacissimum Damasi episcopi adversarium. Quae ecclesia Romana tunc passa sit fata notissimum est. Liberio episcopo mortuo (a. 366), Damasus et Ursinus diaconi a diversis partibus electi sunt episcopi: Damasus ab iis clericis, qui Felicem Liberii expulsi loco a Constantio imperatore trusum agnoverant; Ursinus ab illis, qui Felicis communionem recusaverant. In quorum numero Faustinus quoque presbyter erat. Eo autem tunc inimicitiae creverunt, ut sanguine fraterno christiani Urbis cum plateas tum ecclesias commacularent. Ursino cum compluribus diaconis et presbyteris Roma pulso, pax non statim restituta est. Utique enim Romam reverti ibique peculiarem sacrorum communionem condere studuerunt. Qua re factum est, ut per totum Damasi episcopatum minor ecclesiae Romanae pars ab eo quidem separata esset atque damnata, ipsa tamen restitutionis spem exspectationemque minime relinqueret. Etiam a. 384 Faustinus et Marcellinus presbyteri Valentiniano, Theodosio et Arcadio imperatoribus *libellum precum* obtulerunt, quo precarentur (n. 34): *Habeant illi basilicas auro coruscantes pretiosorumque marmorum ambitione vestitas vel erectas magnificentia columnarum, habeant quoque porrectas in longum possessiones ob quas et fides integra periclitata est: . . liceat saltem veritati vel inter ipsa vilissima et abiecta praesepia Christum Deum pie colere ac fideliter adorare.* Qui libellus quin a Faustino scriptus sit, dubitari non potest. Est enim subscriptus a *Marcellino presbytero* priore et altero loco a *Faustino, qui non possum dignus vocari presbyter Dei.* Praeterea, Marcellino ceterum ignoto, Faustinum literis valde instructum fuisse constat. Superest enim aliud eiusdem opusculum Flaccillae imperatrici, Theodosii coniugi *de Trinitate* inscriptum, et *fides* i. e. symbolum Theodosio imperatori oblatum. Hunc Faustinum etiam utrumque de quo quaerimus opus scripsisse traditum non est. Si igitur nihilominus eum scriptorem dicere audemus: id verum esse aliunde nobis probandum videtur.

Iam primum valde miraremur, si presbyteri Romani, qui tam ampla et memorabilia opera confecit, etiam ipsum nomen fortuna extinxisset. Qui enim ad ea scribenda idoneus erat, certe aliter quoque in rebus ecclesiasticis ita versatus est, ut eius nomen, fata factaque historia tradiderit. Ex notis autem illius temporis presbyteris Romanis solum Faustinum respici posse iam diximus.

Restat igitur, ut utrumque illud opus cum Faustini scriptis comparemus. Utroque praeter eos haereticos qui ecclesiam Romanam perturbarunt praecipue Arianos impugnari vidimus. Quos non solum passim scriptor arguit ac refutat, sed etiam fusiore quaestione (97), evangelii Joannis exordio accuratius explicato (qu. 122) et commentatione contra Eusebium Macedonianosque scripta (qu. 125) impugnare conatur. Iam vero cuncta Faustini quae supersunt scripta Arianis, Macedonianis iisque adversantur, qui eorum communione maculati esse videbantur.

Porro magna inter illa opera et Faustini scripta intercedit similitudo, et quidem talis, ut alia ex aliis exscripta esse non possint. Primum Faustinum *de Trinitate* librum ex scriptura sacra totum paene hausisse animadvertimus, ita ut literis biblicis et arte exegetica optime se instructum praebeat. Valde igitur idoneus iudicandus est, qui commentarios in s. scripturam et quaestiones biblicas composuerit. Praeterea totus liber eodem fere modo dispositus est, quo

illa quam memoravimus contra Arianos scripta quaestio. Nam omni paene libro de Filii natura eiusque cum Patre aequalitate, et extremo solo capite de Spiritu sancto disputatur: eadem autem dispositio in illa quoque quaestione cernitur.

Tum totus ille liber nihil nisi amplissima, ut cum Ambrosiastro loquamur, *quaestio* est: cum Faustinus Augustae Flaccillae respondeat *sollicita interrogatione perquirenti, quomodo capitula illa solvantur, quae ab Arianis adversus catholicos sacrae legis interpretationibus opponantur* (praef.). Quibus verbis quasi de Arianorum doctrina *quaestiones* ex s. scriptura soluturum se esse promittit. Itaque Flaccilla cum iis conferri potest, qui illi quaestionum scriptori dubia proposuerunt. Sed etiam *quaestionis* vocabulo Faustinus saepius hoc sensu utitur. Ita I 12 de *quaestionibus Arianorum absolutis* agit. II 9 Arianum sic appellat: *Nunquam adversus Filium Dei impias componeres quaestiones, quas qui piae mentis est per illa quae supra diximus intelligit absolutas.* III 5 argumentationem claudit: *Sub hoc fidei sacramento non solum illa capitula solvuntur de quibus interrogare dignata es, sed et omnes quaestiones quas contra Filii divinitatem captant impii haeretici.* IV 1 incipit: *Accipe nunc et has quaestiones quas ex diversa parte proposueras fortiores specialiter absolutas.* Rursum V 1: *Sed huius quoque quaestionis absolutio manifesta est.* VI 1: *Tangamus et illam in ultimo quaestionem quam inter ceteras addidisti rel.* VII 1: *Universas quas de Patre et Filio scripseras quaestiones . . arbitror absolutas.*

Deinde contra adversarios disputandi forma se usurum esse Faustinus I 2 expresse profitetur: *Hoc autem non ut librum scribimus, sed quasi cum praesente adversario certis disputationibus dimicamus.* Statim I 6 disputationem incipit: *Quid agis impietas Ariana?* Sequuntur I 13 *impie haeretice,* I 14 *haeretice fraudulente* similesque aliis locis minus blandae appellationes. Adeo autem Faustinus disputandi formam amavisse videtur, ut librum quem Augustae inscripsit satis male ita disposuerit, ut tum ipsam tum adversarios appellaret, semel etiam Matthaeum evangelistam: *Da mihi veniam beatissime Matthaee, si dixero quod nondum tibi Christus Deus erat Dominus, quando adhuc telonio serviebas.* Persaepe sermoni inserit *vides, vide, intellige, habes* vel similia: II 2. 4. 6. 7. 11. 12. 13. III 3. IV 1. 2. 3. V 1. 3. VI 2. Prorsus pari modo Ambrosiastrum disputare et tum lectorem tum adversarium appellare solere supra ostendimus.

Se breviter argumentum perstringere Faustinus compluries repetit, ut I 6. 13. II 4. 8. 9. III 1. V 4 itemque lib. prec. n. 4. 12. 26. 27. *Pauca de multis* se proferre qu. 91. 106 quoque scriptor dicit. Faustinus se sermonis elegantia carere ipse confitetur, ut prol.: *Me imperitia squalidi sermonis suffundit . . cum in causa fidei non sermonum sublimitas requirenda est, quando ipsa sola testimonia divina sufficiant quae potius operantur quam quaevis fecundior eloquentia;* I 2: *quaeso ne squalido sermone fatigeris;* VII 4: *si quis forte eloquens haec ipsa legerit delinquentiam incompti sermonis inveniet.* Idem de se Ambrosiaster paene profiteri videtur 2 Cor. XI 6: *Cum in religione vis sermonis necessaria sit, non sonus dulcis; . . qui imperitus est in sermone, reus non est apud Deum.* Et qu. 100: *Istos reprobat Deus qui oratione clari sermonis magis uti volunt quam bonis artibus. Nam et gloriam Dei in se vult convertere qui rem Dei verbis exornare se putat.* Profecto Ambrosiastrum rem Dei elegantioribus verbis quam Faustinum exornasse nemo facile affirmabit: quaestionis 109 scriptorem etiam ab Hieronymo *imperitum sermone* denotatum esse iam antea vidimus.

Innumeris fere duorum illorum operum locis *ut supra diximus* vel similia verba inve-

nimus. Eandem dicendi consuetudinem tenet Faustinus: I 2. 7. 13. 14. II 9. 10. 13. III 1. 2. 5. V 1. 5. VI 3. 5; lib. prec. n. 3. 5. 16. 20. 26. 27. 29. Saepius etiam alia sicut Ambrosiaster expositioni interponit: I 11 *adhuc apertius dicam*; I 14 *dicam exemplo apertius;* II 9 *estne opus apertius explanare*; VI 5 *sed adhuc apertius edisseram;* II 3. 4. 5. III 4 *videamus;* II 5 *interrogemus* rel. Aliis quoque locutionibus pariter atque Ambrosiaster utitur. *De Trinitate* librum claudit verbis (VII 4): *sed hic finem faciamus*: qu. 125 *de Spiritu sancto* Ambrosiaster eodem modo: *hic finis sit.* Ab Ambrosiastro saepe *compendii* vocabulum adhiberi vidimus. Faustinus quoque eo uti solet, ut VII 3. lib. prec. n. 26. Apud Ambrosiastrum saepius *gravandi* vocabulum invenimus: Gal. I 1. 1 Thess. II 6. 1 Tim. V 16. qu. 44. 120: apud Faustinum quoque ut lib. prec. n. 23. *Lectiones* sunt homiliae vel institutio puerorum ecclesiastica et 1 Cor. XII 28. Eph. IV 11. qu. 120 et lib. prec. n. 22. *Praesumendi* vocabulo utitur Faustinus prol. I 1 similiter ac qu. 97. 109. Sicut compluries apud Ambrosiastrum legitur de Trin. IV 1 *ex diversa parte*; item compluries ille ut qu. 101 *deferendi* vocabulo utitur pro *honorem deferre*: Faustinus autem dicit II 3 *honor quem Patri defers* et III 5 absolute *Deo magis deferre.* Sicut Ambrosiaster saepius aliquid *esse iniuriam Dei* Faustinus contendit I 4. Item cum illo adversarium *Trinitatem, vel divinitatem Christi, vel s. scripturam calumniari* dicit I 10. II 13. III 5. Ambrosiastrum saepius res medicinales attingere vidimus: Faustinus I 10 Arianum appellat: *insanabiliter aegrotas.* Faustinus lib. prec. prol. 1. 2 et n. 20 (*in ecclesia*) *procedendi* et *processionis* vocabula ponit ad significandam publicam sacrorum celebrationem: 1 Cor. VII 5. qu. 127 autem *diebus processionis* coniuges etiam a licitis se abstinere admonentur. *Benedicere* denotat *ordinem ecclesiasticum conferre* et lib. prec. n. 2 et qu. 109. *Omnia divinitatis paternae* Filius nascendo accepisse dicitur qu. 39 N: Faustinus I 10 iisdem paene verbis *omnia quae sint paternae virtutis et deitatis haberi in Filio* docet. Ut saepius apud Ambrosiastrum invenimus, Faustinus II 1 *signum Domini* baptismate homini imprimi dicit. Cum Ambrosiastro iustos et fideles omnes filios Abrahae esse declarat, ita ut *filios (Dei) adoptivos in sinu Abrahae esse* dicat. Deus Rom. IX 16. qu. 79. 126 *inspector cordis*: lib. prec. n. 34 *speculator cordis* nominatur; Paulus apostolus sicut ab Ambrosiastro *vas electionis* de Trin. II 6. lib. prec. n. 14. Saepissime *sacramenti* vocabulum eadem qua apud Ambrosiastrum significatione invenimus I 6. 10. 11. 13. II 4. 6. 9. 11. III 3. 4. 5. IV 1. 3. V 2. lib. prec. n. 33; et sicut illic interdum *mysterium sacramenti* tautologia adhibetur, ita hic II 5 *secretum mysterium* legimus. Ambrosiastrum *legis* notionem amare et saepius s. scripturam, etiam Novi Testamenti, legem vocare vidimus: ita Faustinus quoque de Trin. prol., lib. prec. n. 10. Praecipue prior locus memorabilis videtur, quo Faustinus se *s. legis interpretationibus* cum Arianis disputaturum esse dicit. Nam qu. 97 quoque inscribitur: *Qua ratione responderi possit Arii impietati simpliciter ex lege?* Cum Ambrosiastro Faustinus multum de *adoptione* agit et Verbum natura, non adoptione Filium Dei esse demonstrat: I 1. 6. 8. II 3. 4. 5. 9. VI 1. 5.

Omnino Faustini placita theologica cum Ambrosiastri plane concordant. Secundum eum (II 13) Deus est *simplex nescio quid quod sit integrum et perfectum et inaestimabile tamen et inexplicabile;* I 9 vocatur Deus *invisibilis, inaestimabilis, incorruptibilis, indemutabilis;* I 10 *perfectus, invisibilis, incomprehensibilis, inaestimabilis et verum lumen;* II 7 *invisibilis, inaestimabilis, sempiternus, impassibilis, immortalis, omnipotens.* Qu. 1 autem *quid est Deus* ita solvitur: *Hoc est quod nulla attingit opinio. Plus est enim quam quidquid dici poterit aut cogitari. Igitur Deus*

est sicut hominibus videtur: spiritus natura simplex, lux inaccessibilis, invisibilis, inaestimabilis, infinitus, perfectus rel. Et similiter Eph. III 18 docetur. De Trinitate doctrinam Faustinus eandem tradit quam Ambrosiaster. Filium eiusdem cum Patre esse substantiae demonstrare magnopere studet. Praecipue sicut Ambrosiaster qu. 97. 122. 28 N. 49 N Filium Patris *facturam* esse negat, quod omnis factura per ipsum facta sit: I 2. 4. II 10. V 1. 4. VI 4. 5. Item cum Ambrosiastro de Spiritu sancto brevius disserit, eum ex Patre procedere et Patris Filiique Spiritum esse docens. Ambrosiaster Phil. II 5 Verbum et ante incarnationem Christum vocari posse exponit: id quod cum eo facit Faustinus I 1. 2. 6. 7. 9. 14. II 2. 6. III 1. 5. Idem I 9 sicut Ambrosiaster Patrem non videri posse nisi in Filio ex Ioan. XIV 9 probat. IV 1. V 1 sicut ille Filium *Deum perfectum* appellat. I 2. V 1 sicut Ambrosiaster qu. 91. 97. 122 de Christo tanquam *Dei virtute, sapientia, verbo* agit. I 6. 8. IV 2 cum Ambrosiastro unam Patris et Filii imaginem et formam esse dicit. Sicut Ambrosiaster 2 Cor. VI 17. qu. 97 multisque aliis locis Faustinus I 12. III 1 Patris et Filii potentiam atque operationem eandem esse tradit.

Incarnationis doctrinam Faustinus tam simplicem explicat quam Ambrosiaster: Christus Deus et homo est (III 5). Quod quomodo cogitandum sit modo generaliter exponit. V 1. 2. 3 *Iesum secundum carnem post passionem Dominum et Christum factum esse* docet: Rom. I 1 quoque Ambrosiaster dicit: *„Jesus Christus“ (inquit apostolus) ut et Dei et hominis personam signaret, quia in utroque est Dominus.* Tum Faustinus V 3 exponit, Jesum non *secundum quod sit Verbum Dei* crucifixum esse, sed *secundum hoc quod assumpserit de Maria:* attamen *quidquid in assumptum hominem passionis illatum sit, id totum ad impassibilem Deum quadam ratione revocari.* Eadem forma minus circumscripta quam vocant communicationis idiomatum etiam ab Ambrosiastro traditur. *Quia Dei Filius,* inquit in 1 Cor. II 8, *incarnatus homo factus est, ipsi adscripta est mors, quia Iudaei non utique carnem persecuti sunt, sed eum qui operabatur per carnem, ac per hoc quamvis Dominus maiestatis mortem ignoret, quantum tamen ad Iudaeorum votum pertinet et ad principum huius saeculi, Dominum occiderunt in carne.*

Etiam aliis sententiis Faustinus et Ambrosiaster inter se consentiunt. Velut ille V 2 reges in Vetere Testamento *christos* vocatos esse dicit, sicut apud Ambrosiastrum invenimus. VI 1 *sui fellis amaritudine* haereticos veritatis *dulcia mella* amara reddere arguit: cum Ambrosiaster qu. 72 quae *dulcia sint sicut mel* haereticis *amara esse* demonstret. Ambrosiastrum interdum contra *dialecticos* disputare iam vidimus. Faustinus I 10 adversarium *inflatum de litera saeculari . . adversus Christum Aristotelis artificiosa argumenta colligere* arguit; et II 12 eum illudit scribens: *Ubi sunt nunc illa impia vestra sophismata quae Aristotelis episcopi vestri magisterio didicistis?* lib. prec. n. 33 autem adversarios *inani studio philosophorum solis disputationibus litigantes* dicit. Qu. 109 Ambrosiaster queritur: (*adversarium*) *resistere manifestis, ut non sensum capiat ex lectione, sed sensum tribuat lectioni. Vis infertur scripturis dominicis, ita ut etiam hos inimicos sentiat qui auctoritati eius se inclinare videntur . . ad sensum suum scripturas convertunt.* Faustinus autem I 2 profitetur: *Scripturae divinae ob hoc editae sunt ut secundum illarum sensum nostram fidem dirigamus, non ut nostros sensus illarum sacris dictionibus inseramus . . Non licet interpreti aliter sentire quam scriptum est, nec opus est ut nunc nostros sensus ingeramus.* Similibus verbis quibus Ambrosiaster etiam Faustinus intelligentiam laudat quae cum fide coniungatur. Scribit enim de Trin. prol.: *Habens affectum verae fidei cupis prout possibile est in-*

telligere quod fideliter credis. Quia et tunc magis anima religiosa velut divinis epulis pascitur, cum quod credit intelligit. Ille autem qu. 113: *Melius puto, si post fidem etiam causa facti possit adverti, ut quod creditur non ignoretur . . Primum enim credi debet . . deinde sciri quod creditur . . tunc enim plenum habet gaudium credulitatis suae, si quod credit intelligat . . Ubi enim sola fides est, non est tam mera devotio et potest aditum habere subreptio.* Cum Ambrosiastro Faustinus VII 2 lib. prec. n. 8 paganorum deos daemones esse dicit. Priore loco etiam homines deos vocari commemorat propter Spiritus sancti inhabitationem: Ambrosiastrum eos eadem ex causa *deos adoptivos* vocare supra diximus. Faustinus I 14 solum Deum natura sua peccare non posse: creaturam vero *proprio arbitrio bonam voluntatem amittere* posse exponit. Qu. 1 eandem sententiam invenimus: *Homo non est Deus, qui solus errare non potest; natura igitur hominum proprio arbitrio remissa et dimissa est.* Sicut Ambrosiaster Faustinus II 14 de rebus et significationibus agit. Ut ab illo, ita lib. prec. n. 5. 6. 7. 8. 9. 33 imperator *rex* vocatur. Cum Ambrosiastro Faustinus lib. prec. n. 19 *qui sanguinem fundi cupiat eum exorbitare a legibus christianis* contendit. Ibidem n. 20 presbyterum quendam sicut Ambrosiaster *antistitem* vocat.

Praeter Arianos eosdem Faustinus impugnat haereticos quos Ambrosiaster: Sabellianos I 6. 8. 11; Photinum V 4. Sabellii autem doctrinam sicut ille qu. 72. 49 N ita exponit, ut eum de Patre et Filio solis, non de Spiritu sancto loquentem inducat. Atque I 11 contra eum similibus verbis disputat, quibus ille qu. 49 N. Scribit enim: *Sabellius ipsum dicit Patrem qui sit et Filius hoc modo, si unus habeat duo nomina . . ut unius personae singularitas crederetur.* Illic vero legimus: *Sabellium autem qui unionem accipit Patrem et Filium, ut unus singularis duobus nominibus nuncupetur, sic confutat rel.* Quorum locorum consensus eo memorabilior videtur, quod brevi post Leo episcopus Romanus longe aliter de Sabellio disputat. Scribit enim serm. XXIV 5: *Sabellius inexplicabili errore confusus unitatem substantiae in Patre et Filio et Spiritu sancto inseparabilem sentiens, quod aequalitati tribuere debuit singularitati dedit. Et cum veram trinitatem intelligere non valeret unam eandemque credidit sub triplici appellatione personam.*

Nonnullos sacrae scripturae locos Faustinus eodem modo quo Ambrosiaster interpretatur. Velut cum qu. 122 I 2. 3 ex Ioan. I 1 probat, Verbum ab aeterno fuisse nec, ut Gen. I 1 de creatura referatur, factum esse, atque inseparabile esse a Patre et semper Deum. I 4 Faustinus locum Phil. II 5 explicat ut Ambrosiaster in commentariis. Hic Eph. II 20 illustrissimum illum locum Matth. XVI 18 *super hanc petram aedificabo ecclesiam meam* ita intelligit: *in hac catholicae fidei confessione statuam fideles ad vitam.* Eandem aliis verbis exprimit interpretationem Faustinus II 4: *Non sibi soli Petrus interrogatus est, sed omnibus (nobis); ut cum ille de Christo bene confitetur, et nos similiter disceremus pari confessione ad beatitudinem pervenire.* Addimus, et Ambrosiastrum 2 Cor. VI 17. qu. 97. 102 et Faustinum III 2 locos ex Baruchi prophetia sumptos tanquam Ieremiae dicta laudare: id quod sane illo tempore consuetum erat.

Ambrosiastrum praecipue in quaestionibus adversarios interdum infestissime impugnare vidimus. Eandem consuetudinem Faustinum tenuisse et quidem adeo ut non solo sermone impolitus fuisse videatur, ex eius scriptis apparet. I 10 Arianis *diabolicum furorem* tribuit, I 11. VI 1 *caecitatem* et *impietatem* eosque monet ut *saltem commodent sibi sensus suos. Isti,* inquit II 1, *nimis frontem praeferunt impudentiae impietatibus obduratam; . . impudens eorum frons illa quae est sine signo Domini crebris testimoniorum lapidibus elidenda est, ut etsi non caro eorum*

effundit cruorem, multis effossa vulneribus tamen vel pudor suffusione sanguinis erubescat. Rudem hanc metaphoram persequitur II 3. 4. 9. 11. Nota de Arii morte narratio lib. prec. n. 3 inseritur nimium obscoene relata quam quae hic proferri possit. Solam exclamationem sufficere putamus quam narrationi adiungit: *Digna haec poena impio, digna haec mors turpis pestifero haeretico, atque de spiritu diaboli foetidissimis membris digna haec sepultura.* Arii autem discipulos n. 4 describit ita: *Denique non defuerunt vermes qui de eius putrido cadavere nascerentur.*

Sicut Ambrosiaster Faustinus quoque in rebus iuridicis multum versatus esse videtur. Saepe verbis et locutionibus inter iurisconsultos consuetis utitur, ut *mancipare* V 5; *praeiudicare* V 4. lib. prec. n. 8. 14. 17; *fundus fiscalis* ib. n. 9. 11; *addicere* n. 19; *interpellare* n. 19. 20; *intercessio postulata* n. 20; *postulare exhibitionem decurionum civitatis* n. 20; *deponere postulationem* n. 20; *intestatus* n. 21. Tum I 6 de iure adoptionis agit sicut qu. 125. Sic argumentatur lib. prec. n. 1: *Si quidem ius saeculi ideo scriptum est, ne contra verum aequumve potentia vel multitudo praevaleat . . quomodo in negotiis divinis sanctae fidei veritas impiorum caterva . . obfuscatur?* Ibidem n. 15 queritur, episcopos contra fideles *catholicorum imperatorum iura praeponere.* Sicut Ambrosiaster Faustinus *causae* vocabulum amat et interdum plane abundanter ponit, ut lib. prec. n. 30 *causa rectae fidei*, n. 32 *causa praevaricationis* pro *recta fides* et *praevaricatio*. Praeterea dicit de Trin. prol., lib. prec. n. 34 *in causa fidei*; religionem autem VII 4. lib. prec. n. 6 *causam Dei* appellat et ib. n. 8: *in causa veri*, inquit, *maxime in causa religionis et sacrae fidei non numerus numero comparandus est.* Ib. n. 14 s. scripturae doctrinam *divinarum scripturarum iura* nominat. Ib. n. 16 denique quasi iurisconsultus incipit: *Verumtamen et in hac causa divinum iudicium cognoscite probatum praesentibus documentis.*

Ambrosiastri ergo opera cum Faustini scriptis ita consentire videmus, ut ab uno cuncta composita haud immerito habeantur. Accedunt duo quasi testimonia. Primum Faustinus non fortuito se *de Trinitate* librum tanquam unicum opus scripsisse, sed omnino literis, praecipue s. scripturae interpretationi tempus tribuisse, compluries significare videtur. I 7: *Haec*, inquit, *ipsa non studio librum scribentis exequimur, sed veluti in scheda certas summas quasi properantes delimamus, ut tuo qualitercunque videamur obedisse praecepto rel.* II 3: *Licet . . adhuc sint alia quoque multo copiosiora quibus fides divinitatis apparet, tamen illa nunc taceo.* II 4: *Sed et alia testimonia plurima, sed nos nunc non librum scribimus, ut omnia prosequamur, sed causa brevitatis paucis testimoniis summas claudimus.* VI 1: *Sed nos non ibimus longius neque de aliis libris Salomonis quae sunt pro sempiterna Dei sapientia proferemus. Sufficit nunc, si de hoc ipso loco unde testimonium protulit pars diversa superetur.* VII 1: *Quamvis fatear et coarctatione temporis et rei festinatione et ipso arido angusti mei sermonis eloquio summas earum (quaestionum) me potius tetigisse quam plenitudinem prosecutum, quia non ut librum, sicut praedixi scribere coeperam, sed ut quasi cuiusdam abbreviationis de fide quaedam taxatio signaretur, ne ad hoc me tua mira benevolentia provocatum infidelem crederes si tacerem.* II 13 denique se s. scripturae interpretem clarius quasi profitetur: *Non autem nunc expositio totius psalmi necessaria est, sed illud solum probandum rel.* Trium psalmorum commentarios illo quaestionum opere contineri unusquisque reminiscitur.

Altera vero ex parte qu. 125 contra Eusebium de Spiritu sancto scriptae in calce legimus: *Iam enim in libello adversus Arianam impietatem digesto reliqua plenius tractata sunt,*

quae Trinitatis complexa sunt indiscretam unitatem. Quod dictum Faustino optime convenire manifestum est. Nec vero qu. 97 de Arianorum doctrina scriptam Ambrosiaster verbis illis designare potuit: primum quia hanc quoque brevem commentationem ipse tanquam quaestionem inscripsit, eam igitur non libellum sed quaestionem appellasset; deinde quod ea de Trinitate doctrina non *plenius* tractata est.

Cum igitur multis argumentis Faustinum etiam duo illa opera scripsisse probari videatur: nonnullis id refutari aliquis sentire possit. Primum Ambrosiaster primis solum religionis christianae initiis propter infideles miracula facta esse opinatur: Faustinus contra complura miracula eademque satis absurda enarrat quae suo ipsius tempore facta sint. Unum tantum referimus ex lib. prec. n. 16: *Non post multum tempus idem Zosimus, cum in coetu plebis vult exequi sacerdotis officia, inter ipsa verba sacerdotalia eius lingua protenditur nec valet eam revocare intra oris meatum, eo quod contra modum naturae extra os penderet ut bovi anhelo. Sed ut vidit se linguae officium perdidisse, egreditur basilica: et res mira, foris iterum in officium lingua revocata est . . cum hoc ipsum toties iterum patitur, quoties in basilicam diversis diebus intrare tentavit, ipse postremo recognovit, ob hoc sibi linguam inter pontificii solemnia verba denegari, ut sanctorum episcoporum in eum rite prolatam sententiam probaret. Denique cessit episcopatui, ut lingua quae cesserat redderetur.* Cuiusmodi narrationes Ambrosiastri opinioni supra relatae non repugnant. Primum enim cui Faustinus addictus erat Luciferianorum pars oppressa atque humanis auxiliis destituta, uti fieri solet, spem omnem exspectationemque in singulari et praesenti Dei ipsius opera ponebat: ita ut Faustinus, miraculis inde ab apostolorum temporibus non iam factis, summo in quo ex Luciferianorum opinione tunc quidem res ecclesiasticae versabantur discrimine, novis miraculis quibus veritatem christianam prorsus paene extinctam iterum stabiliret, Deum uti arbitraretur. Deinde etiam ipse Faustinus n. 25 se illam Ambrosiastri de miraculis sententiam amplecti prodit, cum Luciferum Calaritanum ab adversariis quoque magnum vocatum esse dicat, quippe qui *apostolicas per eum virtutes fieri negare non potuerint.* Quibus verbis miracula faciendi facultatem peculiarem esse apostolorum haud obscure exprimit: quasi quod apostolorum temporibus evenerit, illo summo rerum discrimine repeti dixerit. Eodem modo Ambrosiaster quoque 2 Cor. XI 6 de *signis et prodigiis apostolicis* et ib. II 11 de *signorum prodigiis apostolatus* loquitur, et qu. 93: *Tertia,* inquit, *forma (doni Spiritus sancti) est quae solis apostolis concessa est in signis ac virtutibus faciendis, usquedum fidei semina iacerentur ad crementum . . Ipsi enim antistites positi sunt huiusmodi veritatis, qui per signa et prodigia non irrationabilem esse fidem nostram testarentur.* Nec vero Ambrosiaster etiam post apostolorum tempora miracula fieri posse plane negavit. Nam qu. 114: *Iam tempus,* inquit, *non est faciendarum virtutum. Initio enim fieri oportuit, ut semen fidei per hanc crementum faceret. Tamen et modo daemonia nominata cruce terrentur et si impensius fiat fugantur;* et 1 Cor. I 28: *Vident (pagani) infirma Christi nominata daemoniis imperare, prodigia facere.* Inter miracula autem quae Luciferianos fecisse Faustinus refert, ipsa quoque daemonum expulsio invenitur (lib. prec. n. 7. 21). Eo denique Faustinus cum Ambrosiastro consentit quod etiam absurdissimae miraculorum narrationi fidem non deneget. An miraculo supra relato minus ineptum est quod qu. 115 tanquam certum narratur: *Tempore imperatoris Constantini manifestum est puellam in parte Campaniae immutatam in masculum et Romam perductam?*

Difficiliorem restat tractare locum celeberrimum 1 Tim. III 14: *cuius (ecclesiae) hodie rector est Damasus.* Id Faustinum non scripsisse manifestum est. Hic enim summa vitae discrimina subiit, ut Ursinum episcopatum Romanum contra Damasum vindicantem adiuvaret. Sed verba illa supposita videri iam supra adnotavimus. Nunc vero, unde suppositio exorta sit fortasse intelligere possumus. Non est, cur multo post nescio quem se Ambrosiastri aequalem simulantem eam fecisse arbitremur: immo *rectoris* vocabulum ad episcopum denotandum Ambrosiastri tempore tritum fuisse constat. Ipse hoc sensu eo utitur 1 Cor. V 13. Col. IV 17. 1 Tim. III 5. IV 5. 13. V 21. VI 13. Tit. III 8. Si quis contra multo post ad episcopum Romanum totius ecclesiae praesidem significandum illi loco verba quaedam inserere voluisset, clariorem accuratioremque aliquam significationem elegisset. Tempore autem Damasi ipsa in Urbe verba facile addi potuerunt, quoniam Ursini pars etiamtunc Damaso episcopatum eripere studebat. Ut enim inter dimicantes episcopos Damasum legitimum verumque notaret, verba illa adiicere Damasi clericus aliquis fortasse permotus est. Qui non eo sensu Damasum ecclesiae rectorem significavit, quasi totam ecclesiam regendi munere eum fungi diceret, sed ut eum eius ecclesiae, ubi scriptor degebat, Romanae igitur episcopatum legitime tenere affirmaret. Praecipue vero si Faustinus, Ursini presbyter, commentarios scripserit: alterius partis clericus inter legendum quasi contra ipsum libri scriptorem mente disputans verba illa ad defendendum Damasum addidisse facile statuendus erit. Quae eo facilius retinebantur, quod opus initio sine scriptoris nomine traditum esse videtur. Neque tunc insuetum erat, omisso ecclesiae nomine episcopum quemlibet generaliter ecclesiae rectorem vel antistitem denotare. Immo omnis episcopus, praecipue usurpatoris cuiusdam adversarius, simpliciter *ecclesiae* vel *ecclesiae catholicae episcopus* nominabatur[1]). Certe igitur verbis illis Faustinum commentarios non scripsisse probari nequit. Contra quomodo factum sit, ut contextum rumpentia tunc Romae interponerentur, optime comprehendi potest.

At quare testimonia antiqua non extant, quae Faustinum opera illa scripsisse tradant? Immo Hieronymo, Augustino, Gennadio per eosque posteris id plane ignotum erat. Hieronymus enim in prologo ad commentarios quibus epistolam ad Galatas instruxit inter libros quibus usus erat Marii Victorini, non Ambrosiastri commentarios commemoravit. Prologum quoque in epistolam ad Ephesios claudit iis enumeratis qui hanc epistolam explicaverint: inter quos Ambrosiastrum iterum desideramus. Ab Augustino non Faustinum, sed s. Hilarium scriptorem habitum esse iam vidimus. Gennadius denique Massiliensis († circa a. 500) de vir. illust. c. 16 inter Faustini scripta nec commentarios nec quaestiones refert. Sed Hieronymum

---

1) Cf. Cyprian. ep. XLIX 2. August. ep. XLIX. Similiter Cornelius episcopus Romanus Fabio episcopo Antiochensi de Novatiano aemulo scribit (Eus. H. E. VI 43): *οὐκ ἠπίστατο ἕνα ἐπίσκοπον δεῖν εἶναι ἐν καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ἐν ᾗ οὐκ ἠγνόει . . πρεσβυτέρους εἶναι τεσσαράκοντα ἕξ, διακόνους ἑπτά, ὑποδιακόνους ἑπτά, ἀκολούθους δύο καὶ τεσσαράκοντα κτλ.*, ecclesiam igitur singularem, cuius presbyteros aliosque clericos enumerat, simpliciter ecclesiam catholicam appellat. Eadem ratione omnis episcopus *religionis* vel *legis christianae antistes* nominatur: Cod. Theodos. XVI 2, 11; 2, 45; 12, 1. Novell. Theodos. tit. 3; Novell. Valent. tit. 5. Gelasius ep. 36 rel. Mirum autem in modum ad locum de quo agimus quadrant Gelasii episcopi Romani verba, qui ep. XIV 26 episcopos quosdam *contraria domui Dei cui praesident operari* arguit: omnem igitur episcopum domus Dei praesidem vel rectorem esse dicit.

qui suos illos commentarios a. 387—390 scripsit, Ambrosiastrum nondum cognitum habuisse facile est intellectu, si ipsum Faustinum scriptorem fuisse statuimus. Eius enim, cum Damaso episcopo intima amicitia coniuncti, quae Ursini clerici agerent minus intererat. Augustini tempore Ambrosiastri commentarii iam in Africam pervenerunt, nec tamen scriptoris nomine insigniti, quare Augustinus ex superioribus interpretibus Latinis celeberrimum, Hilarium Pictaviensem scriptorem coniecisse videtur. Itaque ne Gennadium quidem, qui etiam nota ignorabat, multo post inter Faustini opera illa enumerasse mirari non licet.

Id quoque facile est intellectu, cur Faustini quae non imperatoribus inscripsit opera scriptoris nomine destituta circumlata sint. Primo inter paucos socios cognita, apud alios nullam ex scriptore auctoritatem obtinebant: quare brevi quasi patre orbata tradebantur. Ita factum est, ut servatis libris scriptoris nomen oblivioni daretur. Id quod eo etiam facilius evenit, quia iam Augustinus commentarios falso Hilarii nomine inscripsit: quo errore detecto propter verba illa: *cuius hodie rector est Damasus* iam Cassiodori tempore illustrissimus qui sub Damaso episcopo vixit ecclesiae occidentalis antistes et doctor, Ambrosius Mediolanensis, qui eos quodammodo adoptaret accersitus est. Nec quaestiones initio scriptoris nomine insignitas fuisse inde apparet, quod immerito Augustino addici solebant. Praeterea id certo de qu. 109, probabiliter de qu. 101 scimus. Illam ab Evangelo Hieronymo ἀνώνυμον, ἀδέσποτον missam esse, supra audivimus. Hanc autem quamvis Hieronymus ep. 146 prae oculis habuisse videatur, ideo fortasse commemorare noluit, quod scriptoris auctoritate non fulciebatur.

Faustinum igitur praeter libellos imperatoribus oblatos etiam commentarios illos et quaestiones scripsisse nullis argumentis refutari potest. Restat, ut complures locos afferamus, qui suspicione nostra optime illustrari videantur. Multo studio Ambrosiaster Rom. VIII 38 tractat, et quidem ita ut internas ecclesiae perturbationes, quales Damasi tempore Romae factae sunt, spectasse possit. *Haec sunt,* inquit, *omnia quae ad abductionem nostram a diabolo inferuntur, quae idcirco memorat, ut muniat nos: ut si advenerint, . . armati fide adversus haec repugnemus. Quid enim si mors illata fuerit, nonne lucrum est maximum occasionem invenire, qua citius eatur in regnum promissum? Neque si praesens vita promissa nobis fuerit dignitate munita, debet nos avertere a spe beneficii Christi, quem scimus quia non solum in futuro sed et in praesenti proderit nobis. Nec quidem si se angelus nobis ostendat ad seducendos nos, subornatus fallaciis patris sui diaboli, praevalere debebit adversum nos. . . Neque si virtus ab aliquo facta fuerit, sicut dicitur facta a Simone Mago, qui dicitur in aere sursum, ut populum Christi scandalizaret volasse, fidem nostram debebit minuere. Neque si in altitudinem se nobis ostendat, de qua dicit Ioannes apostolus: „an ignoratis altitudinem satanae", a devotione nos Domini Iesu debebit auferre. . . Neque si per phantasiam qua seducere meditatur profundum nobis ostendat horrore mirandum, qua territi forte succumbamus illi, nec sic dignum est ut Christo fidem frangamus. . . Neque si futura nobis spondeat, quae promisit Evae, assensum dabimus illi, discreti a Christo, quem virtute et natura Deum credimus et scimus. Nec si arte et subtilitate astutiae suae aliam creaturam fingat ad horam. . . Quibusdam videtur aliam creaturam dixisse de idolis; sed non est verum . . Nam quis seducatur fidelium ad haec, a quibus recessit manifestato errore? Sed haec meditatur et fingit, per quae etiam electos possit seducere.* Quae expositio nemini potius tribuenda videtur, quam alicui clericorum Romanorum, qui quod Da-

masi episcopi communionem quasi maculatam vitabant, ne *Christo fidem frangerent* acerbissimas persecutiones fortissime subierunt. Ne haereseos quidem, immo subtilioris periculosiorisque causae scriptor respectum habuisse videtur, qua *etiam electi seduci* possent: eandemque ita describit, ut omnia ad summam Damasi episcopi potentiam et auctoritatem quadrent, quae Ursini parti *diaboli fallacia* esse videbatur. Singula, ut dicta de Simone Mago qui Petri apostoli adversarius fuisse dicebatur, ad res a Damaso gestas applicare praetermittimus. Id solum commemorare placet, ut Simon hoc loco *populum Christi scandalizasse* et omnino ecclesia *duos populos* i. e. bonos et malos complecti ab Ambrosiastro tradatur: ita Faustinum (lib. prec. praef. n. 2) Ursini partem vocare *plebem sanctam, quae Liberio fidem servaverat*, n. 3 *fidelem populum* et *Dei populum*, n. 4. *populum Deum timentem.*

Fortasse eodem sensu verba intelligenda sunt, quibus Ambrosiaster locum: *salutant vos omnes ecclesiae Christi* (Rom. XVI 16) ita explicat: *Per hoc intelligitur dici ecclesiam quae non sit Christi. Unde et David conspirationem iniquorum ecclesiam malignantium vocat. Omnium ergo locorum illorum ecclesias dicit eos salutare ut crescant in fide. Hunc ergo ad superiorem sensum retulit ut ostendat Christum esse in quo salus est, et hunc esse cuius populus fidelis est et cuius nutu vivit cuncta creatura.*

1 Thess. II 1 autem interpretationi haec nota adiicitur: *Signum ergo devoti et fidelis praedicatoris hoc dicit esse si in pressura loqui verbum Dei non timeat, inanem illum significans qui terrore praesenti formidinem patitur praedicandi. Qui enim securus est de promissa spe, non cedit ut coronetur.*

Res quales quidem a Damaso gestas esse Faustinus describit etiam 1 Tim. VI 9 respectae esse possunt: *Nihil tam asperum tamque perniciosum est, quam si ecclesiasticus, maxime qui in sublimi loco est, divitiis huius saeculi studeat, quia non solum sibi ipsi sed et ceteris obest . . avaritia enim omnia mala potest admittere. Ideo radix omnium malorum est, quia ut desideria sua expleat, quod impossibile est, et maleficia et homicidia et obscoenitatem et quidquid sceleris est perpetrat, nec ad praesens secura quia semper cupida, et in futuro damnata.* Faustinus autem lib. prec. praef. n. 2 enarrat, Damasum *omnes quadrigarios et imperitam multitudinem pretio concitasse et armatum fustibus ad basilicam Iulii perrupisse et magna caede fidelium per triduum debacchatum esse: post dies septem cum omnibus periuris et arenariis quos ingenti corruperit pretio Lateranensem basilicam tenuisse et ibi ordinatum episcopum, et redimentem iudicem Urbis Viventium et praefectum annonae Iulianum id egisse ut Ursinus in exilium mitteretur*; et n. 4 Damasum *omne palatium redemisse ne facta sua principi panderentur;* n. 3 denique eum *in tantum a matronis dilectum esse ut matronarum auriscalpius diceretur.*

Qu. 101 de diaconis Romanis a presbytero Romano scriptam essse supra demonstravimus. Quocum illud solum minus concordare videbatur, quod scriptor dicit, si propter magnificentiam Urbis, capitis omnium civitatum, diaconi Romani ceterarum ecclesiarum collegis superiores sint: *hoc debent et sacerdotibus suis vindicare,* quasi ipse non fuerit Romanus. Quae tamen si Faustinum scripsisse statuas, optime poteris explicare. Is enim Romanus quidem presbyter erat: idem vero a communione *sacerdotum Romanorum* exclusus. Prae-

terea ex lib. prec. n. 4 eum Roma expulsum fuisse novimus. Eiusmodi igitur presbyterum Romanum de *sacerdotibus Romanis* eorumque communione tanquam alienis loqui mirum non videbitur.

Eadem condicione qu. 109 quoque locus quidam melius intelligitur. Ibi enim Christus et Spiritus sanctus sacerdotes Dei significantur: improbatur vero canonis quem vocant missae locus, ubi Melchisedech, i. e. Spiritus sanctus *summus sacerdos* vocetur, quoniam Christus summus sit, Spiritus sanctus secundus. *Non summus*, inquit, *sicut nostri in oblatione praesumunt.* Etiam hoc igitur loco scriptor se e sacerdotum numero excludere videtur, quamquam eum sacerdotem fuisse negari non potest. Nec vero Faustinus et patria et sacerdotio pulsus, quid falsi in *oblatione* proferri existimaret, causam habebat cur taceret, nec *nos* dicere potuit, quum ipse a sacris faciendis impeditus esse soleret. Quam raro enim atque occulte Ursini presbyteri sacra facere coacti fuerint, Faustinus toto libello precum exponit, ubi (n. 30) se ipsum Eleutheropoli, in Palaestinae oppido, in divina officia incumbere voluisse, ab eiusdem tamen oppidi episcopo Turbone *turbatum* esse enarrat.

Etiam qu. 110 huc pertinere videtur, ubi legimus: *Hanc dicimus cathedram pestilentiae quae extra Dei ordinationem est, ad hoc utique inventa, ut iniqua inde exeant iudicia: propterea pestilentiae cathedra dicta est, quia est corruptio quae parit mortem sicut et iniquitas damnationem. Non est ergo a Deo quae est cathedra mortis: nam Moses accepit cathedram vitae.* Quae verba in memoriam revocare videntur, quod Faustinus lib. prec. praef. n. 3 refert: populum Romanum in basilica Liberii clamasse: *quintum iam bellum Damasus fecit; a sede Petri homicidas foras*! Illa enim verba non metaphoram exhibere, alia eiusdem loci explicatio ostendit: *Hi ergo (pagani) sunt qui in cathedra pestilentiae sedent, quia quod pontifices eorum praedicant mors est. Hoc enim debent, ut cultores unius Dei quasi stulti et inimici aut opprobrio sint aut de hac vita tollantur.* Praeterea postquam mundum saepe aliis ac debeat in potestate positis se subiicere dixit, scriptor exponere pergit: *Si in Dei cathedra sedentes innocentes opprimant, iniustum erit iudicium, non cathedra. Ubi enim cathedra pestilentiae est, non potest iudicium non esse iniquum, quamvis quaedam sibi applicent quasi velamina quibus impietatem contegant, ut videntes fallantur. Non potest enim sola impietas proponi, quia non invenit emptorem, et ubi lex diaboli est si ipse nominetur horretur. Sed sicut mel veneno admiscetur per quod lateat, ita et legi diaboli quaedam iusta admiscent, et nomen applicant veritatis.* Postremo demum de haereticis agit qui *cathedram pestilentiae extra vel contra ecclesiam* constituant, episcoporum successione, quae inde a Petro apostolo incipiat, non servata. Quodsi igitur Faustinus quaestionem illam scripsit, facile est, quae de *oppressis innocentibus*, de *velaminibus impietatis*, de *melle veneno admixto* dixit ad res a Damaso gestas appl care.

Denique quod iam memoravimus qu. 120 exordium inde clarius lumen accipit, si Faustinum scriptorem esse statuimus. *Dei enim sacerdotem et praepositum plebis Christi* se scriptor nominat ac *congruum esse* dicit *exhortari populum sub cura sua positum.* Quibus verbis scriptorem non se episcopum nominare, altera autem ex parte munus quasi episcopale vindicare iam supra diximus. Praecipue commemoratio *populi sub cura scriptoris positi* nos inducit, ut curam eam singularem et extraordinariam cogitemus, cui populus ille subiectus fuerit. Aptissime Faustinus presbyter socios ita exhortari potuit, non episcopo sibi nomen tribuens, sed sacerdoti,

praeposito autem eorum, qui Damaso episcopo repudiato et Ursino oppresso pastore ordinario carebant.

Tota de Faustino presbytero coniectura, si quidem probata erit, id efficietur, ut non solum plenius quae opera conscripserit, sed etiam quis ipse fuerit accuratius cognoscamus. Prius enim et gentilis et iurisconsultus, literis maxime biblicis postea adeo versatus esse apparebit, ut inter Bibliorum interpretes Latinos, etsi *imperitus sermone*, non ultimum locum occupaverit. Singulares memorabilesque eius sententias hic quidem recensere longum est: recensebimus, si antiquae ecclesiae Romanae historiam enarrare nobis contigerit.

Iam a rerum praeteritarum umbra ad praesentium transeamus gravitatem. Indicenda enim sunt solemnia, quibus divi augustissimi regis FRIDERICI GVILELMI III., qui hanc litterarum universitatem condidit et munificentissime ornavit, sacram memoriam in publico consessu recolemus.

Pietatis nostrae interpres erit vir illustrissimus IOANNES DE HANSTEIN, Rector universitatis h. a. magnificus. Oratione solemni finita idem iudicia de litterarum certaminibus anno peracto initis declarabit, victorum nomina renuntiabit, nova novorum certaminum argumenta proponet. His igitur solemnibus ut adsint Curatorem universitatis nobilissimum, Professores amplissimos, Doctores clarissimos, Commilitones ornatissimos, Magistratus et regios et urbicos spectatissimos et quicunque rebus nostris bene volunt qua par est observantia invitamus.


3 0112 126255378